

Hd. 188.

IOH. IACOBI HOTTINGERI
DISPUTATIO
STOLPIANA
DE
SENSU HONESTI.

Cum animadversionibus EHLERSII V. Cl.
quibus responsum est.

ACCEDUNT
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ DUÆ
IN QUAESTIONEM
AB STOLPIANI LEGATI CURATORIBUS
ANNO MDCCCLXXIV. PROMULGATAM.

TURICI,
Litteris Orellii, Gessneri, Fueslini & Socc.
M D C C L X X V I.

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

EXCELLENTIS INGENII- ET DOCTRINÆ
VIRIS

LUD. CASP. VALKENARIO

ET

DAVIDI RUHNKENIO

S. P. D.

IOH. IAC. HOTTINGERUS.

Multa quidem, quæ per externarum gentium terras ac regiones iter facienti mihi acciderant, grata in primis & jucunda recordor; gratissima vero longe, & quam saepissime recolo, memoria est eorum, quæ pauca quidem sed tanto cariora temporis momenta, in urbe VESTRA atque amborum domibus, biennium fere abhinc transegeram. Nam quæ singula homini literarum amanti vel gratum urbis peregrinæ adspectum vel jucundam magnorum virorum familiaritatem efficere solent ac possunt, ea ego omnia apud VOS juncta simul cumulataque reperi. Et Lugduni qui-

dem VESTRI si vel unica hæc commendatio
fuisset, quod scirem, ex quo primum Acade-
mia fundata erat, tot tantisque illam summo-
rum hominum ingenii concelebratam fuisse,
quot & quanta vix umquam alia terrarum
ulla regio simul amplexa fuit, næ ego pro-
fecto, & istius cœli spiritum trahens, & in
isthac terræ solo inter maximorum quondam
virorum vestigia, monumenta & sepulcra
versans, abunde me felicem judicavissim.
Etenim hoc ego animo semper fui, ut exi-
miæ virtutis memoria & præstantium magni-
tudine virorum qualicunque recordatione ma-
ximopere commoverer, & novas subinde ad
egregiorum quorumvis facinorum, quantam
ingenii atque virium mediocritas ferret, imi-
tationem pectore flamas conciperem. Ita-
que moenium VESTRÆ urbis turriumque ad-
spectu primo

— exsultantia hausit
Corda pavor pulsans laudumque arresta
cupido.

Cum vero Academiam ipsam ingressus, & loca
illa concelebrata, nunc VESTRA, antiquitus
autem permultorum VESTRI utriusque simi-
lium, id est, summorum hominum, sapientia
contemplarer, quorum imaginibus defixus in-
hærebam; tum & magis magisque animum
attolli, & impensius palpitare pectus, & men-
tem meam sacro quodam horrore penitus pe-
nitusque correptam sensi. Tunc opportune
animum subiit Pisonis memoria, cum in ve-
teri quondam academia cum Cicerone versa-
faretur, ipsius loci, ubi Platonem aliquando
primum disputasse meminisset, adspectu so-
laque Speusippi, Xenocratis ac Polemonis co-
gitatione, haud leviter commoti. Quo luben-
tius huic meo sive sensui cuidam sive errori
sum obsecutus, minime id quidem mihi pu-
dendum ratus, si, quod tanto viro & Athe-
nis & in acadēmia summos Graciē philoso-
phos cogitanti acciderat, idem tot præstan-
tium magnitudine virorum talis memoria
apud me homuncionem efficeret. Primum

igitur *Josephum Scaligerum*, veluti ceterorum aliquem Deum, non sine magna ambitione, ab ipso Galliarum rege efflagitatum, per moenia portasque urbis duci, quasi triumphantem, videbam. Cujus modo tristissimum funus & academiae orbitatem & humanarum rerum fragilitatem, cum *Heinrio*, quem ille disciplinae suae alumnus primogenitum vocare solebat, deplorabam. Deinde vero ab isthoc acerbissimo luctu avertens animum, *Salmasium*, & *Fridericum Gronovium*, & *Burnianum*, & *Perizonium* ceterosque horum similes permultos praesentes quasi oculis contuebar. Quibus tamen mihi omnibus *Hemsterhuisius* felicitate in primis antecellere est visus, quod disciplinae suae heredes, **VALKENARIUM & RUHNKENIUM**, eundemque hunc virtutum & doctrinae facundissimum praeconem, post se reliquisset. Horum autem dum vago obtutu vel omnium vel singulorum vultibus oberrarem, non tamen illa voluptas aliquo meo dolore caruit, propterea

quod abavi nostri, *Henrici Hottingeri*, in illis
imaginem desiderarem. Qui honestissima lege
arcessitus illuc, nisi praematuriora fata in
ipso itinere diuturnioris gloriae fructum in-
tercepissent, etiamsi Academia vel in uno
Sebultenſo habeat, quo se in isthoc genere
jactare possit, tamen in ceteris locum for-
tasse fatis honorificum occuparet. At vero
jamdudum animus monebat, ut isthaec quan-
tumvis gratissima, sed tamen mortuorum
monumenta relinquem; quod scilicet, quo
majus quidquam aut pretiosius urbs ista nihil
habet, illos nondum vidisse, qui peren-
nem tantam Academiae gloriam tuerentur.
Quemadmodum vero antea Goettingam *Hey-*
nio suo, Lipsiamque *Ernestio*, qui quidem
unus instar multorum est, fortunatas judica-
vissim, ita nescio, an etiam beatior mihi
hoc certe in genere Lugdunum, VALKENA-
RIUM RUHNKENIUMQUE amplectens una
videbatur. Quorum ego virorum eximia fa-
ma permotus & propriae quadam nec inho-

nesta gloriolae spe atque cupidine allectus,
ne vel intempestate ostia pulsarem, a me
impetrare non potui. Quod enim paucis
ante mensibus, de sensu, quem dicunt mo-
ralem, ad *Stolpiani* legati Curatores, excel-
lentissimos viros, scriptum dimiseram, id
fortasse cum meo nomine ad aures VESTRAS
aut oculos pervenisse sperabam. At vero,
quod pon tantum ea humanitate, quam in
utroque VESTRUM antea praedicari sum-
mam audivissem, me excepistis, sed quod
de isthac etiam opella mea tam benigne ac
liberaliter judicavistis, quod TU, excellen-
tissime RUHNKENI, non modo *ad majora*
conanda animum addidisti, sed, si quando
in Philologicis, ad quae TIBI forte non
omnino ineptus videbar, tentare quid vel-
lem, ditissimis manuscriptorum codicum,
VESTRÆ bibliothecae, copiis TE milii sup-
petias laturum ultro promisisti, id, fateor,
longe supra spem omnem meam aut expe-
ctionem erat. Cujus tantae VESTRÆ in

me humanitatis, ut aliquod vel levissimum
monumentum extaret, & hoc & quod pari
consilio postea scriptum dimisi, nominibus
VESTRIS sacrum esse volui, non quod, in
isthac mea tenuitate, vel hoc vel aliud ullum
dignum VESTRA magnitudine munus a me
proficiisci posse opinarer, sed ne maximi
mei in VOS studii & gratissimi animi me-
moriā non testatam relinquerem. Scripsi
TURICI, VI. ID. MAII. MDCCCLXXVI.

Præfatio

*Paucula sunt, quæ libellum istum vel emturos vel
lecturos non omnino ignorare volui. Non novas
trado binas hasce disputationes. Prior enim cum
Stolpianis super isthac argumento scriptis, bien-
nium abbinc, edita fuit: alteram cum earundem
disputationum recentissimo volumine proditaram ex
Ligdunensem Gallicis ephemeridibus cognovi. Ty-
pis vero separatim nunc excudenda ea curavi, quo
optimorum quorundam virorum, studiis nostris fa-
ventium, desiderio satisfacerem. Ac scriptum qui-
dem nostrum de sensu, quem moralem dicunt, jam
antea denuo recensum fuit atque editum a Martino
Ehlersio, in fasciculo dissertationum philosophici
argumenti. Varias simul animadversiones suas ad-
jecit Vir clarissimus, quibus nostram opinionem re-
fellerere est conatus. Has ego nunc servavi, ut re-
sponderem. Majus denique opus animo concepi,
ubi otium ceterarumque rerum ratio passura erit,
exsequendum. Permagnæ enim res & dignitatis
& ponderis est. Et certe ab utraque parte multa,
non sine aliqua probabilitate, in hanc rem disputari
posse mihi persuadeo. Magna igitur rem totam accu-
rate explorandi & discrepantes philosophorum sen-*

tentias, mente ab omni partium studio liberrima,
ea denique, qua illum esse necesse foret, qui ve-
rum querere se, non scire, sibi certus persuaderet,
veteris academiæ more, nostra Germanorum lingua
illustrandi cupidus animum incesserat. Et hoc, uti
jam professus sum, forte aliquando tentabo, sed
malim tamen a viro aliquo ḡ acutiore nobis ḡ
disertiore, vim enim dicendi ab hoc genere abesse
nolim, laborem isthunc anticipari. Nam isthac
quidem opella mea, me mibi placere, tantum ab-
est, ut non semel scriptisse noluerim. Quapropter
ad Batavos ita misi, quasi perditam operam arbi-
trarer, ḡ certe nil minus quam honorem illum spe-
ravi, quo parem suffragiorum numerum ferens non-
nisi sorte ab Hennerto V. CL. victus discesseram.
Quo igitur illorum, quibus legati Stolpiani com-
missa cura est, amplissimorum doctissimorumque vi-
rorum ad sensum justius iterum meruisse viderer,
conscripti ac dimisi alteram disputationem super no-
vissime promulgata quæstione. Verum melius me-
ri volentem seu fortuna seu eventus destituit.
Neque interea me pænitit operæ collocatæ. Quare
ḡ hoc simul eaque potissimum forma edere decrevi,
quā præterito anno acroumati publico accommoda-


veram. Idque eo consilio feci, cum ut aliqua re-
tinendi potestas esset, que tempore illo nova adje-
cisset, tum ut optimis quibusdam viris, qui me
isthac audientes impietatis summæ, quasi Numinis
fidem ac religionem omnem sustulissent, postulave-
runt, nunc, summo in otio, sedato & tranquillo
animo causam nostram explorandi judicandique co-
piam facerem. Hæc omnia sunt, quæ tempore
isthac monenda duxi. Jam valete, &, si quid
placet, fruimini. Qui autem meliora noscet, mo-
nente quoquo & corrigite; ego vero lubens gratissi-
moque animo obtemperabo. Si quibus omnia dis-
plicebunt, illos, ne emant, rogo; aut emturi etiam
vel non emturi, per me licebit, dilacerent, &,
boni nihil ab homine nequam proficiunt posse, dicant.
Multæ expertus, brevi illo tempore, quo literarum
isthac curriculum ingressus sum, & hæc & alia
plura æquo animo paratoque feram. Quidquid enim
nonnulli de me dixerint, tantæ certe bonitatis ho-
mo sum, ut ne malis quidem sua gaudia invi-
deam. Scripti TURICI, III. Non. Januar.
MDCCLXXVI.

D I S P U T A T I O
D E
S E N S U H O N E S T I.

Quid aut laudari rite aut vituperari potest, si
ab ejus natura recefferis, quod aut laudandum
aut vituperandum putes? *Cic. de legib. I.*

*Sitne aliquis sensus homini innatus, quo dirigatur
ad cognoscendum & impellatur ad faciendum bo-
num morale.*

Cum in omni, quæ præceptis continetur, arte
ac disciplina permultum interest, ut ab aliquo
principio & quasi fundamento proficiscatur; tum
in primis, quæ de officiis traduntur præcepta,
fatis firma esse & stabilia nequeunt, nisi per-
specta ante, explicitaque honesti natura & ra-
tione. Nisi enim, qualis illa sit, appareat, quid
faciendum sit fugiendumve certe intelligi non
potest. Atque nimirum ex eo nati sunt pluriui
pessimique errores, cum, qui de officiis præci-
perent, aut non certa niterentur ratione, aut, in
magna opinionum varietate, ea sibi quisque fin-
gerent, in quæ incidere ista sentientem necesse




erat. Quo factum, ut homines male laboriosi, rem minime obscuram, difficilem atque impediatam disputando redderent, ipsique adeo diei lucem eripuisse viderentur. Verum quidquid alii aut dicant, aut existimant, ego mihi ita prorsus persuadeo, neque me ex illa opinione, cuiusquam vel auctoritas vel solertia dimovebit, ne magnum inter hominum actiones discrimen, & quæ recte fiunt, ac cum virtute, non propter commodum aliquod aut fatalem temporum necessitatem, sed sua natura internaque honestate & convenientia laudabilia, & quæ contra, per se turpia hominisque excellenti natura indigna esse credam.

Sed sunt nonnullæ philosophorum disciplinæ, quæ virtutem honestatemque omnem tollunt, dum illam colendam dicunt, vel quia utilis, vel quia ob communitatem vitæ hominumque societatem necessaria sit. Qua opinione, quid potest esse perversius? Est enim non solum recta ad fraudes ac scelera via, verum ejicit e vita magnitudinem animi pluresque alias virtutis partes, atque adiutum ad eorum officiorum inventionem, quæ illas

sequuntur, præcludit. Cumque officia tempore nata, tempore quoque mutari necesse sit; clarum est, dictorum atque factorum constantiam & fidem tolli: quibus sublatis, quid sanctum hominibus erit, aut intemeratum? Ex igitur disciplinæ, quoniam officia verbis quidem reliquerunt, sed re fustulerunt, de iis disputare nequeunt.

Est autem fundamentum officiorum virtusque adeo ipsa posita in rerum natura, factorumque interna vel convenientia, vel repugnantia, sine qua nihil omnino honestum neque turpe, nec officium quidem ullum, sed æqualia omnia fuerint. Neque vero jam illa parvi momenti est quæstio, huic alteri conjuncta, unde ea recti honestique persuasio nascatur. Ut enim error omnis perniciosus, ita in primis tum cavendus est, cum in eo aliquid ad pravas actiones momenti fuerit. In quo quidem, ut sèpe alias, discrepant philosophorum sententiae, pro diversis eorum de honestatis natura opinionibus; cum alii ea ratione colligi argumentisque probari, alii naturali quodam & quasi ingenito sensu patefieri existimant. Quid-

B




quid est, cum eam videremus quæstionem ab amplissimo collegio, doctorum hominum industriae publice propositam, voluimus experiri, num in eo argumento, cum aliquo fructu versari, & utramque opinionem ita conciliare possemus, ut, quid veri aut falsi nobis animadvertisse in quaere visi sumus, doceremus. Primum igitur de ipso recti honestique sensu paucis disputandum videtur: quo facilius, explicita ejus natura, patet, quid de tota hac ratione judicandum sit.

Duplex omnino ratio est, qua veri omnis cognitio oritur. Aut enim mens rerum impulsu ipsa movetur, aut eorum ipsorum, quorum usum atque experientiam nacta est, contentione collationeque instituta, quid verum sit, expendit, atque efficit. Atque hoc quidem rationi proprium est, illud autem sensu efficitur. Nam de phantasia ideo nihil dicimus, quod ea nonnisi, ex iis, quæ ab sensu tradita memoria acceperat, partium aut coniunctione aut separatione, res forma quidem, non vero interna sua ratione novas effingit. Quo autem corporum, & quæ ad ea pertinent, ad animum imagines transmittuntur, is externus

dicitur sensus. Cujus generis sunt colores corporumque magnitudo atque figura, cæteræque eorum proprietates, quæ singulis sensus instrumentis sunt subjectæ.

His vero duobus natura adjunxit tertium aliiquid, sive sensum appellare, sive alio nomine libet. Quamvis enim discrepet ab utroque, proprius tamen ab sensu abest, ut quodammodo, quasi dux formæ uno genere contineri videantur. Neque enim solæ rerum concretarum species obversantur animo. Ac primum quidem hoc ita fert animi natura, ut a rebus externis se colligere, vimque suam ad se ipsam earumque rerum contemplationem convertere possit, quæ concitato sensu apud se fuerat expertus. Ex quo conflatur novum aliquod notionum genus, totumque ab eo diversum, quod ab externo sensu oritur. Principsque illa communisque notio est, quam sibi mens de propria sua natura effingit; in qua nihil est concreti, nihil quod sub aspectum, cæteraque externi sensus instrumenta cadat. Quæ quoniam sine mentis agitatione aut conjectura sensu quodam & quasi conscientia efficiuntur, cognitio-



nis istum fontem, recte, opinor, internum sensum vocaverimus.

Porro cum animus non uno modo rerum sensu affiliatur, necesse est, istam ejus conscientiam eadem ratione distingui. Ut enim alia nobis sentimus probari, displicere alia, ita aut voluptatis aut tædii, quæ nonnisi in animum cadunt, notio existit. Insunt autem in quibusdam momenta actionum, contraque ancipitem nonnulla cogitandi curam adferunt, faciuntque, ut incerti pendeamus animi. Quæ cum experimur, tum & dubitatio, qualis sit, apparet, & quam vocamus voluntatem aut declinationem.

Quemadmodum vero non solum rerum externalium, per sensum, ad animum transmittuntur imagines, sed insunt quaedam in his ipsis, quorum contemplatione nos delectari intelligimus, itemque invisa alia, & a quibus oculos atque aureis totosque adeo nos avertamus; ita pari modo eorum, quæ animus interiori isto sensu apud se deprehendit, movent quædam approbationem specie quadam liberali atque honesta, contraque sunt nonnulla ejusmodi, ut ipsa turpitudine displicere

omnibus necesse sit. Igitur quæ aut ipsis nobis aut aliis fraudi ac detrimento sint futura, ea velle non solum indecorum, sed turpe atque inhumanum videtur, nihilque magis decere arbitramur, quam modum atque constantiani in cupiditatibus, tum in dictis factisque omnibus. Quo sit ut, cum vel errore lapsi, vel vehementiore quadam animi perturbatione abrepti, ab honestate declinaverimus, mox ad faniorem mentem reversos nostri nosmet pudeat pigeatque, neque raro adeo reperti fuerint, qui, graviori aliquo scelere admisso, excedere e vita maluerint, quam patrati facinoris memoriam ulterius retinere.

Quæ cum apud nos experimur, voluptatis nostræ aut tædii aliquam possimus adferre rationem, aut non possimus. Sin hoc; sensus est; si il-lud; persuasio erit ab argumentis profecta. Sed potest interdum accidere, ut sensus videatur esse eorum, quorum apparebit ratio, si complicatam confusamque animi notionem evolvamus. Itaque virtutis ejusmodi plerorumque sensum esse, neque ii negant, qui, quid faciendum sit fugiendumve argumentis probari posse, existimant. Di-



cunt enim, eorum s^epⁱus animum clandestina
• quasi vi impelli, quae aperte alii atque accurate
momenta perspiciunt. Sed si, virtus sensu con-
tineatur, nec ne, queritur, non istum sensum
intelligimus, qui revera non est sensus. Tum
enim hoc scire volumus, num ulla honestatis,
pr^aeter ejus naturam, sint momenta, sive a non-
nullis ea intelligentur, sive minus.

Quando autem virtutis assensum dicunt a ra-
tionibus oriri argumentisque firmari: hoc nimi-
rum eam habet potestatem; esse aliquid pr^aeter
virtutem, quapropter ea expetenda videatur.
Ergo, qui, quid honestum sit, aut turpe,
sensu percipi negant, ii vulgo officium omne
ab utilitate commendare student: quoniam si
virtus propter se expetenda foret, nulla ejus
ratio posset adferri. Quod enim dici posset;
quia pulchra, quia amabilis; ea nulla ratio est.
Id enim ipsum queritur, cur pulchra, cur ama-
bilis, cur expetenda sit.

Duplex autem genus eorum esse video, qui
in hac causa a nobis discrepant. Nam fatentur
quidem alii, magnum discrimen inter bonas pra-

vasque actiones , virtutemque omnino esse expe-
tendam vitiumque fugiendum ; illud autem me-
tuere videntur , ut , quid honestum sit , quidve
minus , sensu potius percipi , quam argumentis
probari possit . Alii vero virtutem omnem sustu-
lerunt , nisi virtus sit appellanda , quæ coacte ,
vel malorum metu præstatur : quo facto simul
ejus sensum tolli necesse erat . Cum his igitur
hic nobis res non erit . Discant prius , quid sit
virtus , quid justitia , quid fides ; tum si in hoc
argumento a nobis discrepent , habemus , quæ
iis opponi posse arbitremur .

Perpendenti autem mihi , contrarias philoso-
phorum , circa hanc rem , opiniones , tanta dif-
fensio inde videtur orta esse , quod scilicet dif-
erimen illud inter officia non viderunt , quo
alia , fieri oportere , propria quadam atque inte-
riore convenientia perspicuum est , alia autem
nonnisi ob bonum aliquod aut commodum , quod
inde vel ad nos ipsos , vel ad cæteros perven-
turum sit , colenda esse apparet . Ergo alii pro-
pter se omnia expetenda , alii ob effecta pro-
banda faciendaque putant , & falluntur utriusque .




Quod si de suo quisque genere hæc adfirmarent, in eo quidem justa reprehensione carerent. Cum vero, quæ de partibus vera erant, ad genus transculsissent, eos inde, quos videmus, errores consequi necesse erat. Neque enim fieri poterat, ut omnia ab uno capite officia ducerentur. Itaque nescio, cur in hoc, ut sèpius alias, a veteribus nostri discesserint, a quibus ea inventa melius, atque eleganter divisa fuerunt. Iis igitur placuit, eam actionum divisionem instituere, ut alias dicerent ob internam perspicuum stablemque convenientiam aut repugnantiam animum movere, alias autem demum ob effecta probari. a) Superioris generis illa exempla sunt: depositum esse reddendum, fidem & pacta servanda, nemini vim aut injuriam in-

a) Τὰν πραττομένων τὰ μὲν προηγμένως πράττεται, τὰ δὲ κατὰ περισσαπιν. Epiçtet. apud Arrian. Sunt autem illa τὰ προηγμένως πράττομεν, quæ propter se sineque ulla aliarum rerum habita ratione, facienda sunt, i. e. quæ honesta: vel quæ Diogenes Laert. in Zen. τὰ καθήκοντα ἀεὶ περισσάσως appellat; quibus item opponit τὰ περισσαπιν.

ferendam, & similia: quæ eti nihil neque nobis
ipsis nec aliis utilitatis aut emolumenti allatura
fuerint, vel sua natura servanda esse patet. Ob
effecta vero probantur, quæ, cum sua natura ne-
que honesta essent neque turpia, a principibus
aut civitatibus ad civium commoda promovenda
constituta fuerunt. In illis igitur maxime vis
honestatis cernitur; horum autem ratio potissi-
mum cadit in utilitatem. Atque etiam nonnum-
quam, quorum diversa secretaque natura est, ea
conjuncta reperiuntur, ut honestum sit aliquid,
verum idem quoque utile. Quod nescio, annon-
etiam plerumque ac fere semper evenire soleat.

Videmus jam, qua ratione hæc ab se differ-
rant. Quibus cognitis, facile est, perspicere,
quænam officia sensu innotescant, & quæ argu-
mentis probari necesse sit. Quæ enim officia
vim suam omnem ab effectis vel salutaribus vel
noxiis petunt, nec in se habent, quare proben-
tur, ea clarum est, eodem approbationem omnem
referre, unde momenta repetunt. Quidquid enim
argumentis demonstratur, id ita intelligitur, si
verum est id, propter quod ejusmodi esse adfir-




matur. Quare si quis omnia officia insito animo sensu perspicie existimat, is vehementer errat. Verum id quidem de nonnullis est, non de omnibus.

Quod autem honesti omnis cognitio sensu continetur, inde clarum esse puto; quod, unde proficiscatur, initium & quasi principium nullum video. Necesse est autem, quæ, vera esse, per se judicari non potest, eorum ex iis persuasione nam sci, quæ ipsa sensu confirmata latius patere videantur. Sed ab externo sensu & abhorrent ista quam maxime, nec quidquam commune habent cum iis, quæ ex isto quasi fonte promanant. Eorum autem, quæ ab interiori sensu principia derivantur, equidem nulla novi, quæ latius istis pateant. Est igitur sane hic aliquis sensus, a quo honestatis cognitio atque scientia proficiscoitur.

Quid autem? Nonne fuerunt multi, quibus nulla, natura, honesta esse neque turpia, visum est, qui que omnia hæc aut propriis commodis atque utilitate metirentur, aut necessitatibus ex hominum coniunctione societateque ortæ tribuerent?

Fuerunt sane, & permulti, sed nolle, fuisse.
Quid enim abjectius eo hominum genero
cogitari potest, quorum virtus omnis abit in si-
mulationem, quorumque scelus non nisi vinculis
atque carcere potest coerceri? Qui si ab ullo
flagitio se abstinent, non male sibi consciam
mentem, neque turpitudinis infamiam, sed car-
nificem metunt, b) Tolle igitur judiciorum

b) Praeclara sunt, quæ hanc in rem Cicero ha-
bet. Qui non ipso honesto, inquit, move-
mur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua
atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam
quid faciet is homo in tenebris, qui nihil ti-
met nisi testem, vel judicem? Quid in de-
serto loco, naectus, quem multo auro spoliare
possit, imbecillum atque solum? Noster qui-
dem hic natura justus vir ac bonus etiam col-
loquetur, juvabit, in viam reducit. Is vero,
qui nihil alterius causa facit, & metitur suis
commodis omnia, videtis, credo, quid sit
acturus. Quod si negabit, se illi vitam ere-
pturum, & aurum ablaturum: nunquam ob
eam causam negabit, quod id natura turpe
judicet, sed quod metuat, ne emanet, id est,
ne malum habeat. O rem dignam, in qua
non modo docti, verum etiam agrestes eru-
bescant! *Cic. de Legib. L. I.*



ac pœnarum terrores, tolle civium metus, in sua quisque commoda evigilantium, & videbis, quo horum hominum virtus evadat. Illa vero, quam nos intelligimus, honestatem, non solum inter cives, aut infirmi aduersus fortiorum, nec inter pares modo, sed hominum, erga omnes, omnium est. Videmus hic de ipsa honestate agi, quæ quoniam, ut jam diximus, aliena ab instituto nostro judicamus, ne verbum quidem amplius de his addam.

Instioribus autem multo utimur iis, quibus honestatem ob utilitatem quidem, verum non propriam solum, sed omnium colendam esse placet. Sunt enim hi utique in hominum societate ferendi, ut qui nemini, magna quamvis utilitate proposita, malum inferent. Quorum utique error inde mihi videtur ortus esse, quod non ab utili honestum sejunxerunt. Non loquor de eo bono, quod vere homini solumque conducit, & in honestate maximum inest, quod, qui ab illa, infantio conatu, separare sunt ausi, eos execratus Socrates & post eum Tullius meus, nihil neque bonum esse neque expetendum, se-

• • *

junctum ab honestate, docuerunt. Eam autem opinor utilitatem, quæ in bonis externis sita est, quæ si cum sola honestate contendat, vir bonus nemo, quid anteferendum sit, dubitabit. Sed quia viderunt nonnulli, tam arcto vinculo honestatem cum utilitate esse copulatam, ut, quæ honesta sint, vulgo esse utilia soleant, eam esse causam putaverunt, cur bona honestas atque expectenda esset. Verum hæc se comitantur quidem, non vero ita sunt connexa, ut causa & quasi mater honesti utilitas foret. Quin aliquando accedit, ut pugna inter utrumque oriatur, nec honestum sit aliquid, verum utile & vicissim,

Neque vero prorsus aliter fieri potest, quam ut ii, quibus virtutis omne momentum in utilitate quamvis communi positum videatur, honestatem ipsam tollant. Atque primum sic agunt, ut dicant, omnes homines incredibili quodam primum vitæ, deinde felicitatis amore duci, maximeque a morte & doloribus omnibus abhorre. Ex quo fonte deducunt ea officia, quæ homo quisque sibi debeat, ut vitæ ac valetudinis curam, eorumque declinationem omnium,



quæ sibi nocitura videantur: quæ omnia contra naturam esse judicant. Sed quoniam non nostri solum, sed eorum etiam, quibuscum vivimus, cura aliqua nos tangit, ut eorum commodis communiter gaudemus, dolores vero & calamitatem commisereamur; alterum inde officiorum genus derivant, quod primum eos spectat, cum quibus propior nobis est aliqua conjunctio aut familiaritas, aut qui ejusdem sunt civitatis, postremo autem homines omnes. Et hæc quidem recte. Neque tamen existimandum est, duabus his rebus virtutem omnem atque honestatem absolvı. Sunt enim alia, hisque majora, quæ docent contemnere utilitatem, est magnitudo animi, est moderatio, quibus nihil præstantius est, neque divinius. Quæ virtutes non minus secundum naturam sunt, quam amor vitæ, felicitatisque studium, ac multo magis etiam. Ex igitur bonis atque commodis omnibus semper & nonnumquam vitæ ipsi sunt anteponendæ.

Quod quanquam nec ii negent, qui honestatem omnem ad utilitatem referunt, non video tamen, qui fateri possint, si fibimet ipsi con-

stare voluerint. Est omnino magni animi atque
 excelsi, pro civium salute & commodis vitam
 sanguinemque profundere, sed, ut verum di-
 cam, non ejus est, qui utilitatem sequitur.
 Nam si in eo naturam spēctes, proximus quis-
 que sibi est, nec cujusquam hominis magis,
 quam propriis commovemur malis. Sunt igitur
 prima ea officia, quae nobis ipsi debemus. Quod
 si præter hæc nulla sunt alia majora, dementes
 putandi sunt, quicunque pro patria non damna
 atque incommoda ulla, non cruciatus, non ipsam
 denique mortem ferre, cum maxime possent,
 recusarunt. Quid enim fecerunt, nisi ut majus
 malum eligerent, quibus cum minori esse lice-
 bat? Verum eadem illa natura, quæ tantum no-
 bis felicitatis studium ingenuit, docet nos ea
 contemnere, quæ cum magno aliorum incom-
 modo, vel parantur, vel retinentur. Ea im-
 pellit fortes magnoque animo viros, pro civium
 salute, omnia bonorum, vita ac libertatis dif-
 crimina atque periculi subire. Dicis tu, ea
 fieri, quod sint e republica, ergo, quia utilia:
 At ego, quia honesta. Neque enim aliorum ita



commovemur malis, ut ipsi miseri esse, quam eorum adspectum ferre malimus. Non igitur cæterorum hominum utilitas nos poterit impellere, ut ipsis prodeesse nostro incommodo velimus, quorum calamitas non potest. Sed profecto majus est aliquid, in quo virtutis momenta insunt. Et nimis omnes ex virtutes, in quibus constantia cernitur, ac moderatio, humanarumque rerum contemptus, ipsa magnitudine movent animum, ut, quanquam eas assequi interdum nequeamus, tamen in aliis mirari cogamur. Neque ii, quorum nomina, ad omnem æternitatem commendata litterarum monumentis intuemur, suum homines, aliud quidquam egisse censendi sunt, quam ut fortium ac magnanimorum virorum officium atque laudem sequentur. Secuti hoc, nobiles illi trecenti Lacedæmonii, in quos notum est, illud Simonidis:


Dic hospes Sparte, nos te hic vidisse jacentes,

Dum sanctis patriæ legibus obsequimur;
secutus Regulus, qui, si nulla alia, præterquam utilitatis officia cognovisset, nunquam profecto patriæ commodum non ita magnum crucia-


tibus omnibus redimendum censuisset; fecuti denique, tam apud veteres, quam apud recentiores, tot tamque præclara virtute præstantes viri. Sed scilicet præstat, omnia corporis damna maius perferre, quam aut imbellem aut parvi animi esse, honestiusque quam utilius privato commodo publicum antefertur. Ergo, quoniam mala mentis pejora sunt multo iis, quæcunque accidere corpori possunt, eligenda hæc potius, quam committendum, ut ab honestate aberremus. Neque autem, si cum privatis publica commoda pugnare videntur, ea utilitatis pugna est cum utilitate, sed cum rerum humanarum contemtione, sed cum animi magnitudine, sed cum ipsa denique virtute atque honestate.

At vide, quanta sit illa vis honestatis. Neque enim solum privatam utilitatem publicæ vult posthaberi, sed ne commodum quidem, vel publicum vel privatum, nullum probat, nisi honeste, hoc est, eo modo, qui virum bonum atque gravem deceat, partum. Quod si igitur vir sapiens magnam hereditatem ea lege possit adire, ut


C



palam in foro saltet, num credimus eum id facturum, an potius amissurum hereditatem? Negat Cicero facturum, & recte negat. Est enim contra viri honesti atque constantis gravitatem. At rem familiarem ita angere, ut nemini injuriam inferas, non solum utile sed honestum quoque est. Jam vero saltare quem in foro, aut quidpiam simile facere, non video, qui nocere aut ei, qui faciat, aut ceteris possit. Ergo hoc faciet, qui nihil honestum, nisi quod utile sit, nihilque turpe, nisi quod fibi aut ceteris damnum adferat, judicabit: nisi forte hoc ipsum, aberrare ab sapientis gravitate, inutile putet, quia malum. Sit igitur malum, sit inutile, si quidem ita videatur, modo dicant nobis, cur malum putent esse? Nam in ceteris quidem semper aliquod video commodum, quo orbatos eos dicam, quorum malo aliquid vel ab ipsis vel ab aliis factum judicem. Quo vero hic sapientem privari dicam, non habeo, praeter ipsam illam, a qua deflexit, sapientis viri, (nam idem honestus,) gravitatem & constantiam. In quo equidem, quanquam magnum malum inesse cre-



dam, tamen tantum abest, ut ea res eorum opinionem stabilire queat, qui honestum nihil credunt, nisi quod utile sit, ut potius ipsos pugnantia loqui magno argumento esse possit. Nam nos malum, quidquid turpe, atque ideo, quia turpe, malum putamus, illi vero turpe nihil, nisi quod malum sit. Malum igitur non servare constantiam & gravitatem, quia turpe. At illi turpe, inquiunt, quia malum, malum autem, quia omnino malum. Quid ni dicant, quia malum? Metuunt enim dicere, quod res est, ne quia turpe, dicere cogantur. Nonne vident eodem se relabi, unde exorsi erant? Verum nomina mutare quivis, res nemo potest: neque vereor, ne cui, sapientis amittere gravitatem, non turpe videatur, seu id fateri velit, sive minus. Nemo igitur, si quempiam tale quid commisisse videt, quam parum inquiet, vel suis vel aliorum commodis consuluit, sed quam parum decuit, quam inconstanter, quam turpiter factum! Sed sive turpe sit, ejusmodi aliquid committi, sive malum, utrumque quidem per se est, nec ob effecta demum, sed ob internam suam natu-



ram rationemque improbandum. Quicquid enim ita expetimus, ut bonum aliquod aut commodum ex eo ad nos peruenturum, non ipsam rem spectemus, illud ipsum bonum non est. Sed constantia animi & gravitate, sine malo, carere nemo potest. Est igitur ea virtus propter se expectenda.

Dixi de privatorum commodis, sequitur, ut deinceps de publicis dicam. Quæ quoniam reliquis omnibus placet anteferri, si summa honesti lex utilitas fuerit, nihil non faciendum patriæ causa sit. Verumtamen laudamus veteres, qui injuriam reipublicæ illatam, non dolo propulsandam, neque fraudibus aut insidiis, sed armis virtuteque dimicandum viris censuerunt. Et erat hæc vere invicta virtus, quæ ferre calamitates poterat, turpitudinem ferre omnino nesciebat. Summa erat inter Athenienses Spartanosque non solum æmulatio, verum etiam obtrectatio. Sed Themistoclis consilium, de comburenda Lacedæmoniorum classe, auctore Aristide, cum quo solo id Themistocles communicarat, repudiarunt, quod utile quidem, sed non honestum esse audierant.

At emulani imperii rempublicam & metuebant quam maxime & sublatam cupiebant, summaque in spe erant, totum bellum uno impetu profligandi. Verum tanta sanctitate bellum gerebant, ut victoriam aspernarentur, adversus inimicissimos sui nominis hostes, per nefas quæstam. Et quid opus est, Romanorum adversus Pyrrhum, aut Camilli in Faliscos innocentiam commemorare? Satis enim omnia nota. Neque facile puto, quempiam reperiri, qui non ista legens tanta animi magnitudine commoveatur. Igitur aut nos ipsos reprehendamus, qui ista miserar, aut fateamur, necesse est, esse aliquid, præter utilitatem, quod propter se expetendum sit, quoque virum virtute præditum duci honestum sit, quamvis, si commodum spectes, multo magis expediat, contrarium sequi. Quod ni ita esset, fateor, tantum abesse, ut istos summos viros, qui nullam nisi honestam victoriam cupiverunt, laudarem, ut eas potius eam ipsam ob causam reprehendendos crederem.

Neque vero solum a dolis omnibus veteres abhorserunt, sed ne tum quidem, utilitatem



sejunctam ab honestate sectabantur, cum id sine maleficio aut injuria facturi viderentur. Legimus Cyrsilum quemdam Athenienses, maxime exercitu ingruente Xerxe, cum essent sine spe salutis, urbeque relicta classe se statuissent defendere, lapidibus obruisse, quod iis anchor fuisset, in urbem hostis recipiendi. Et tamen utile patriæ hoc consilium videbatur, non vero honestum. Virtus hæc erat, non sine feritate, sed virtus tamen. Adeo nulla placebat utilitas, nisi quæ honesta esset. Dicent fortasse, præstare vitam amittere, quam reipublicæ libertatique superstitem esse. Quod si hoc volunt, honestius esse, non repugno, sin utilius, nunquam efficient ut præstare fatcar. Eorum enim, quæ hominibus accidere possunt, malorum maximum fere mortem judicant, nec facile quisquam reperietur, qui, si optio sibi daretur, omnino non esse, quam vitam misere & cum ærumnis ducente maluerit. Est hoc in natura, non hominis solum, sed animantium omnium, ut vivere quam diutissime velint, ac etiamsi vitam miserrime transgerint, venienti tamen morti laborumque


& molestiarum finem adferenti, reluctentur. Non est igitur utilitatis illa ratio, qua vitæ libertas antefertur, sed quia viri magnanimi atque fortis, non sine dedecore, injusto se domino parere, aut, amissa libertate, vitam retinere posse arbitrantur.

Videmus totorum populorum ac gentium de honestate judicium, ex quo proclive erit, de privatorum officio judicare. Quæ enim civitas certum interitum turpitudini antetulerit, ea nec a civium suorum ullo, pro communi salute ac libertate, quidquam fieri volet, quod turpe inceptu exituque fuerit. Quod quanquam fateamur raro & fortasse nunquam eventurum, ideo tamen fingimus, ut pateat, honestatem utilitati semper esse anteferendam. c)

c) Illud forsitan querendum sit, num hæc communitas, quæ maxime est apta naturæ, sit etiam moderationi modestiæque semper anteponenda. Non placet; sunt enim quædam partim ita fœda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandæ quidem patriæ causa sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta, sed ita tetra quædam, ita obſcena, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc igitur non fus-

Non est hoc, quod dicam, omne. Neque enim ignoro, quam late hoc serpat, quoque delabuntur, qui honestatem demum ob effecta bona ac salutaria expetendam esse contendunt. Nesciunt profecto, quantam sceleri veniam paraverint. Quod si igitur rem, quam nos turpe dicimus, cum aliquo suo bono, aut voluntate certe, ita sint facturi, ut nullius hominis vel commodis vel saluti quidquam detraxerint, nonne erunt facturi? Erunt vero, sed tum negabunt turpe esse, quia non malum. Quod quidem perbene faciunt, quod negant: non enim negare, id ipsum esset, suum errorem confiteri. Nos vero, quanquam ingenue fatemur, raro accidere, ut, quae honesta, non item bona ob effecta, aut quae turpia, mala sint, aliquoties tamen accidere posse, certissimis rationibus mihi persuadeo. Et speramus nonnulla nos allatueros, quae sint ejusmodi, ut turpia esse, quamvis nemini noceant, fateri, aut frontem probe percipiet quisquam reipublicæ causa, nec respublica quidem pro se suscipi volet. *Cicero de Officiis. L. I.*

fricare necesse sit. Quero igitur, si horum hominum aliquis depositum acceperit ab homine opulento, isque sine liberis decesserit, redditusne sit, si exploratum habeat, ad nullius unquam hominis aures aut animum illud perventurum? At credo, redditum, sane: erunt enim nisi liberi, at certe propinqui, erunt amici, qui isto haud libenter careant. Sed fac istos omnes rerum, non solum ad victimum cultumque necessariarum, sed ad amoenitates vitae oblectationesque affluentium copia abundare, eoque facilime carere, cum is maxime indigeat: audibitne fateri, quid facturus sit, is, qui omnia sibi licere putet, quæ sine alterius malo aut incommodo facere possit? Is quidem, quem dicimus, honestus vir, ne tum quidem, non sua, tanget, cum certo sciat, ad quos ea perventura sint, illis ad luxuriam libidinemque abusuros. At vero alter ille, quid dicet? Noceo nemini, mihi autem prosum; non redditurus. Quid enim? putabitne injustum fore? An potest ei, qui honestum nihil, nisi quod sit utile, neque turpe, nisi noceat, judicat, injustum quidquam



videri, quod bonum sibi, malum autem nemini
sit futurum? Quid? non sum? Quid vero at-
tinget hæc curare, si sciat, nemini se nociturum?
Quæret ista, qui sine alterius damno, & inju-
stum se & sceleratum posse esse arbitretur. Di-
cam, quod res est. Non est, qui ita loquimi-
ni, vestra hæc, mea virtus, quæ facere audet,
quæ non audeat prædicare: Quanquam scio, quid
metuatis. At mihi placet ea virtus, quæ etsi
Deum hominesque omnes possit celare, nihil sit
factura, quod ab ullo homine sciari noluerit.
Quod si me interrogetis, cur tandem malum,
id est, turpe putem, quod nemini noceat, ar-
gumenta, si quæratis, nulla habeo: sed habeo
meum, habeo sensum bonorum omnium, & ve-
strum certe, o boni, si naturam potius audire,
quam sectari argutias volueritis. Et hoc ipsum
est, quod dico, honestatem sensu contineri. Si
enim quid honestum sit, argumentis probari pos-
set, non iste quidem sensus foret, sed persuasio.
Sed pergo ad majora.

Recordamur, non sine horrore, totarum gen-
tium ac nationum, ferventiores solis æstu regio-

nes incolentium, effrenatas libidines, quibus non omnem solum decori modum, sed naturæ ordinem ac rationem evagantur. Sit venia errori, nam fueram quæsiturus, quid in hoc mali insit, præter turpitudinem. Sed memini, inter cætera mala hæc in primis adduci, quod nulla alia re magis sobolis procreatio impediatur, quam dicunt esse robur & quasi fundamentum rerum publicarum. Quod ut sic esse fatear, quanquam non semper, ubi ea pestis in primis obtinet, ibi maximam ita vastitatem esse video, miror, cur non eandem infamiam subeant, qui liberis dare operam unquam nolunt. Hos enim, quanquam interdum recte facere negant, ferunt utique homines, quum illos dignos gravissimis suppliciis judicent. Sed dabimus hoc, pessima longe mala hæc hominum generi allatura, si impune ferantur, illud autem nunquam dabimus profecto, ut omnem sceleris turpitudinem in hoc solo positam esse fateamur. Quid enim? Pudet profecto, hæc adferre, sed tamen dicenda omnino: nihil enim magis hoc declarat, quantis incommodis urgeantur, qui honesti hunc sen-



sum sublatum vellent. Si igitur aliquis possit
ea mala vitare, quæ ex pessimo hoc omnium
malo oriuntur, aut in aliquo deserto loco insu-
lave solus vivat, a conjunctione hominum &
societate remotus, certoque sciat, nunquam se
hominem revisurum: sed supprimam reliqua,
ne castissimas aures animosque offendam. Quan-
quam scio, quid sint responsuri. Negant enim
unquam accidere posse, primum, ut ipsis tantis
malis caveatur, deinde autem, si caveri posse
concedant, ne pessimo exemplo emanent. Quasi
vero, qui semel voluptatis illecebras delibave-
rit, omnem modum excedere, necesse fuerit,
aut quia vinosos esse, crapuleque deditos quo-
dam videmus, ideo nemo sine intemperantia vi-
no possit uti. Quod autem negant, ab ullo
homine sciri posse, ea quæ fecerit nunquam
emanatura, id quanquam recte negant, non tam
pertinaci tamen studio in hoc infisterent, nisi,
hac una fuga interclusa, fatendam sibi rem tur-
pissimam viderent. Quid autem attinet nobis ista
querentibus hoc dici? Non enim futurum un-
quam contendimus, ut hæc aliquis certo sciat,

• • • • •
sed quærimus, si scire posset, quid esset facturus? Neque vero ejusmodi hoc est, ut omnino pugnaret. Sed hæc his hominibus, quasi tormenta adhibemus, ut fateri cogantur, etiamsi nolint. Conveni nuper in Germania philosophum haud ignobilem, quem ob eximiam eruditio-
nem, atque illam haud philosophis vulga-
rem plurimis ingenii elegantiam, at multo ma-
gis ob morum eximiam integritatem, summu-
que virtutis atque honestatis studium non diligo
tantum, sed amo maximeque veneror. Cum
quo cum incidisset mihi de hac re sermo, mul-
tumque in utramque partem disputasseimus, tan-
dem, exempli causa, ea, quæ dixi modo, pro-
tuli. At ille primum negare, quæ diximus,
deinde, cum acerius urgerem, fateri, se nescire
quidem, cur fugienda voluptas esset, qua frui
fine suo aut alterius incommodo possit. A quo
cum mirabundus discessissim, brevi redeunti mi-
hi, at quod, inquit, novissime præterieram,
accedunt iis, quæ dixi, divina oracula, quibus,
quæ prohibentur, nobis certe, quibus ea infi-
nita Dei gratia concessa fuere, non vitanda mi-




nus funt, quam, quæ mala esse ratio videt. De quo haud opus esse puto, ut plura loquar. Id enim quale fit, facile quemquam videre existimo.

Atque de hac quidem parte satis diximus. Illud enim jam arbitror me declarasse, neque magnitudinem animi, neque constantiam aut gravitatem, neque fortitudinem, neque justitiam, nec tandem reliquas illas partes honestatis esse expetendas propter utilitatem. Accedit his omnium gentium ac populorum non obscura confessio, quibus visum est, ea virtutibus vitiisque nomina tribuere, quæ nonnisi rebus sensu aliquo percipiendis convenire videntur. Quod ipsa designant honestatis atque turpitudinis vocabula. Honestas enim, si quid video, dicta est, quod esset honorifica ei, a quo coleretur. Jam vero turpitudo ipsa habet aliquam deformitatem. Omnes autem, quotquot ego quidem linguas novi, id habent commune, ut eadem de his prædicent, quibus ea designare solent, quæ ipsa sua forma atque specie sensus commovent. Itaque virtus quidem fere semper pul-

chra audit, nonnunquam ipsa est pulchritudo. d)
 Possem ejus rei exempla adducere quam pluri-
 ma, nisi satis cuivis sua lingua suppeditaret.
 Quid autem porro? Scelus, nonne turpe, fœ-
 dum, deforme, fordidum? Quantum illud boni
 horrent? At certe turpitudinis atque deformi-
 tatis horror est, malorum vero terror, atque
 metus.

Restat, ut pauca de iis dicam, quæ vulgo
 contra nostram opinionem adferri solent. Pri-
 mum igitur existimant, illum, qui nobis videa-
 tur, honesti sensum parentum & magistri voce
 præceptisque formari. Audimus, inquiunt, inde
 a primis annis summis virtutem laudibus efferri,
 atque ex eo nimirum oritur ille virtutis affen-
 sus potius, quam persuasio. Verum ista quidem
 dicunt, non probant. Sed quid multa? Fateor
 ea sic fieri, ut volunt, illud autem miror, quo
 hæc pertineant. An ut probent eorum nullum
 sensum esse, quæ aliorum verbis credimus? At

d) Quod Latini honestum, id Græcos pulchrum
 (*καλόν*) appellare, non opus esse puto, ut
 exemplis probem.



eredit sane infans, vulnus e cultello doliturum, neque eo minus, si quando imprudentia labitur, perfentiseit. Quid impedit, quo minus virtus, qualis sit, sensu experiatur, quam laudabilem esse atque expetendam, priusquam illam nosset, magistri verbis crediderat? Quam parum hæc acute conclusa? Videmus atque audimus, a pueris semper, virtutem prædicari, ergo nullus ejus sensus. Quid si ego adderem: Ergo nulla ejus persuasio argumentis nixa? Ea enim certe non cadit in hanc æstatulam. Quod si autem hoc dicunt, ut ostendant, quomodo potent, sine isto sensu, primas honesti lineas animo imprimi, nihil profecto est cur hoc fateri nolimus.

At quis unquam, sic enim dicat aliquis, ad infantem ita loquatur? Crede mihi hoc rubrum est, hoc cœruleum, hæc pictura, hic vocum, ille nervorum concentus. Nemo certe sic, verum ita: Aperi oculos, arrige aures, & picturam videbis, & audies concentum. Optime sane: Verum aliis rerum aliis pulchritudinis est sensus. Igitur picturam videbit, atque concentum audiet, quicunque oculis atque auribus utetur

incorruptis, sed non omnes profecto eodem modo. Nam quorum crassior paulo sensus est, iine videbunt quidem ea, quæ alii mirabuntur. Intuebitur ruditis aliquis homo Mediceam Venerem, nec reperiet, quid tantopere sint admirati, qui exquisito artium judicio utebantur. Accepimus Mummum, capta Corintho, quum summorum artificum manu perfectas tabulas atque signa portandas locaret, conductibus prædixisse, si quas perdidissent, reddituros novas. O crassum hominis ingenium! Attamen pulchri sensum esse, nemo negat. Qui si tam ruditis in viro; quis virtutis esse aliquem sensum audebit negare, quod non sit perfectus in infante? Eodem jure negare possit, homini rationem inesse, quod omnino tempus est aliquod, quo ratione non utitur. Quare, ut omnes, in genere, animi vires, nisi diligenti cura excolantur, languent, & nonnunquam mutantur in deterius, ita pulchri ille honestique sensus torpebit profecto, nisi diligens cura, & pulchritudinum rerum attenta contemplatio accedat. Quod velim quoque ani-

D



madvertant ii, quibus variarum gentium de honestate diversa opinio omnem virtutis sensum tollere visa est. Fuit his certe omnibus, est que ingenitus a natura sensus, verum is, varias ob causas ac rationes corruptus. Tum autem demum nullus foret, si honestum nihil neque turpe quidquam judicarent. Utuntur ratione homines omnes, sed nonnulli perperam: neque ideo in mentem venit cuiquam, homini tributam rationem, negare.

Memini autem interdum illos querere, si forte accidat, ut plurium de honestate diversus sit sensus, quis tum eam item fuerit dirempturus? Non ratio certe, quoniam non ejus de honesto & turpi iudicium, sed sensus est. An vero sensus? Qualis autem? Isne qui adformat, an is qui negat? Fateor haec veri speciem aliquam pra se ferre, qua vero terremur minime. Atque primum quidem eos bono animo esse jubebo, quod non puto, eventurum, ut homines, in quibus inest recti honestique sensus, & inest certe in omnibus aliquis, in magni quidem momenti rebus, a se discedant.


Hic autem provocabunt ad quotidianum usum atque experientiam, appellabunt veterem omnem atque recentiorem memoriam, laudabunt gravissimos scriptores testes, redigent nobis in memoriam morem Spartanorum, quibus, sine sceleris apud suos opinione, licuisse infantes exponere, ut aliis alia; ac tantæ auctoritatis pondere sine dubio nos opprimi sperabunt. Sed videant, quantopere fallantur. Igitur horum omnium quidquam negandi, neque voluntas nobis neque animus est. Verum illud rogo, unde sciant, non Spartanos, non cæteros, se injuste agere, cum ea facerent, apud se sensisse? Excipio tamen eos, quos natura fecerat tardiores, ut non possent consuetudinis & præjudicatae opinionis nebulam perrumpere. Dicent fortasse non facturos fuisse, si, non recte se facere, pervidissent. Quasi vero necesse fuerit, quemquam non nisi ea facere, quæ sciatur a se fieri oportere. Quotus enim quisque cupiditates rationis imperio ita potest coercere, ut, nisi quod illa suadeat, non sit facturus? Evidem puto, tritissimum illud poëtae quotidie fere quemvis apud se experiri:



— trahit invitum nova vis, aliudque cupidus,
Mens aliud suadet, video meliora proboque,
Deteriora sequor.

De illo certe, qui legem istam Spartanis tulit, mihi prorsus sic persuadeo, ipsum probe scivisse, se non justissimæ adeo rei, quamvis, si, quod volunt illi, commodum spectes, honestissimæ, auctorem fieri. Sed nimis videbat, reipublicæ expedire, nonnisi robustos corporeque valentes cives habere. Ergo in illo utilitas vicit honestatem. In quo quidem nescio, quid reprehendendum putent ii, quibus honestissimum videtur id, quod quam plurimis optimum fuerit. Nos, qui honestatem absque utilitate intelligimus, habemus profecto, cur eam consuetudinem vituperemus, illis vero, si sibi consentire velint, laudandam utique censeo. Sed dabo hoc, videant enim, quantum causæ nostræ confidamus, dabo igitur, diversorum hominum de honesto atque turpi sensum quam maxime discrepare. Si me interrogent, quem præferendum putem, ut quisque præ reliquis excultus fuerit atque perfectus, ita plurimum illi tribuo. Sed


volo, suis oculis videat, neque opinionibus aut exemplo ducatur, is enim non sensus foret, sed consuetudo. Ut igitur alii acutiore visu utuntur, hebetiore alii, ita quoque sensus honesti alius est alio perspicacior, utque alii oculi minima quæque vident, quæ aliorum aciem effugiunt, ita minima honesti quidam discrimina & quasi puncta discernunt, aliorum autem crassiorum sensum nonnisi majora permovent. Neque hoc ideo fit, quia contrarius inest in hominibus sensus, sed quod nonnulli isto quodammodo sensu carent. Nam honestum esse aliquid aut turpe sentitur, non autem honestum esse, non turpe, certe sentiri nequit, quoniam, si quid non est, ejus nullus quoque sensus est. Sed hoc melius se res habet, quod ea vis, mirum, quantum usu potest perfici. Quare si quis neget, se sentire, quod ego sentio, honestum aut turpe, credam: sed credit idem ille mihi, me ejus sensum aliquem posse habere, cuius ipse habet nullum. Non enim omnium oculorum idem acumen, neque sensus idem omnis. Illud autem, quod jam dixi, cavendum, ne pro



sensu habeamus, quæ vere opinio est, aut consuetudo. Potest enim, quidquid tandem nonnulli dicant, honesti sensus consuetudine & exemplis depravari. e) Quod nemo mirabitur certe, qui meminerit, idem non raro in externo sensu usu venire. Vidimus pravo oculorum usu pœtos alios, alios strabones factos. Fuerunt qui longo usu atque necessitate, aut, qui fastidium parere solebant, cibis palatum, aut nares cuivis odori, adsuefacerent.

e) Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque dissensio: & quia non idem contigit in sensibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis sic, aliis fecus, nec iisdem semper uno modo videntur, facta esse dicimus. Quod est longe aliter. Nam sensus nostros, non parens, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis, qui teneros, & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium, cuius blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie parent, non cernimus satis. Cicero, de Legib.
L. I.

Sed pergunt, si, quod s̄epius accidat, in errorem ab sensu inducamur, qua inde ratione nos expediemus? Pulchrum est, ajunt, aliorum malis, quasi nostris commoveri: at, quæ est inconsiderata quorundam bonitas, hominis justam scelerum pœnam expeditis capi misericordia, eumque suppicio velle ereptum, ea vero non clementia, non virtus sed error est. Quapropter jubent nos videre, quo sensus ille noster nos fit ducturus. Sed facilis mihi ac parata responsio est. Quid est igitur, quod vident, qui ita animo sunt affecti? Nempe hominem vident, maximos cruciatuſ summa cum ignominia sustinentem; præterea nihil vident. Quorum adspicu, qui non permoveatur, eum vix hominem existimo. Sed fac videant, quæ plurima ille aliis damna malaque intulerit, fac videant, quæ sibi cæterisque immineant, nisi gravissimis in sceleris suppliciis animadvertisatur, ut uno verbo omnia dicam, videant, non hominem, sed sceleratum, non civem, sed salutis publicæ hostem ac turbatorem, & spectabis tantam mansuetudinem, conversam subito in iracundiam & crudelitatem.



Modo enim hominem miserebantur, at nunc jam parricidam odio atque ira prosequuntur.

Neque tandem hoc prætereundum existimo, quod negant, si quemquam interroges, cur virtutem colendam putet, in eo perfistere, ut dicat, ipsam sua natura amabilem atque expetendam esse; sed partim, quod sic Deus, quod leges, quod magistri ac parentes jubeant velintve, partim, quia ad felicitatem publicam privatamque longe sit præstantissima. Fateor. Quid tum autem? Nempe probat hoc, quam plurimos homines ita sibi persuadere; rerum omnium aliquam rationem & posse adferri & debere. Quod quidem non est, cur miremur, cum, & plures eosdemque clarissimos philosophos in eodem errore versatos esse, videamus. Quid est, cuius sensum ullum habere possimus, nisi nos esse sentiamus? At nonnulli tamen bene sibi esse vix posse arbitrati sunt, nisi, se esse, argumentis demonstrassent. Tritum est illud, frequenti usu, cogito, ergo sum. Scilicet, qui se esse negare possit, is, puto, se cogitare, fatebitur. Quid? nonne idem simul esse & non esse, minime

posse, atque nihil sine idonea ratione fieri, illudem illi, qui prima haec humanae cognitionis esse principia, contenderunt, probare sunt connotati? Lepidum acumen! Quasi vero primum hoc esse possit, quod non perspicuum habet in se evidentiam, sed perinde ac cetera, aliunde probari oporteat. Miranda haec fortasse in philosophis, at in hominibus rerum imperitis nec nova, nee inopinata.

Atque haec, nisi fallor, praecipua sunt eorum, quae contra honestatis sensum adferri solent. Quod reliquum est, quemadmodum sancte possumus adfirmare, nos animo & a præjudicatae opinionis, & ab omni partium studio, liberrimo, solo veri amore adductos, ad hanc rem pertractandam accessisse, neque aliorum vestigia, sed nostram in primis persuasionem secutos esse: ita ingenue fatemur, eodem nos animo gavisuros, si doctiorum hominum opera & industria, nos, si forte, quod hominis est, erramus, in rectam viam sit reductura, maximum hoc nostri laboris præmium judicantes, si, quod summo studio quæsivimus, reperire verum contigerit.

W

Si. hieb ender. eti. se. o. r. h. e. s. t. r. e. n. t. e. l. l.
similiter. eti. se. o. r. h. e. s. t. r. e. n. t. e. l. l.
et. i. c. t. e. n. d. o. n. t. e. m. o. r. o. b. u. c. e. s. e. l. l.
o. e. l. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.
e. l. l. l. i. n. t. e. r. o. n. g. o. e. l. l. h. e. r. p. e. r. o. n. g. o. e.

A N I M A D V E R S I O N E S
E H L E R S II V. CL.
Q U I B U S
R E S P O N S U M E S T.

Pag. 16. *Qua opinione quid potest esse perverius?) „ Quam quidem opinionem non esse perversam, & auctori persuasum fore, credo, quamvis, se ex opinione sua omnino non dimittum iri, putet, si, quod honestum sit, id semper utile esse, quin & honesti naturam & notionem ab utilitate pendere, ipsi ostenditur. Alio vero hujus dissertationis loco dedita haec de re opera agitur, ubi, quæ huc pertinent, lector monita videbit. „ Quæ igitur & hic a nobis monenda videri poterant, eorum itidem suo loco futuram mentionem spondemus.*

P. 19. *His vero duobus natura adjunxit tertium aliquid, &c.) „ Hoc tertio opus nobis non est, si nempe cognitionis lumen illud esse volunt, quod ex sensibus externis & ratione originem non trahat. „ At certe, quo sit opus, dicere haud attinet, ubi, quid sit aut non sit, quæstio instituitur. Sed scilicet, quæ nos esse contendimus, ea vero non esse, demonstrandum rationibus erat. Parum vero ad rem præsentem animum attendisse V. cl. videtur, de sensu,*




quem dicunt, morali, videlicet sermonem esse
ratus, qui nunc certe non erat. De sensu enim
interno, cuius ope animus, suarum ipse muta-
tionum atque efficientiae conscius, novum ali-
quod notionum genus efficit, me locutum esse,
sequentia clarissime ostenderent, nisi etiam res
ipsa insignita suo nomine loqueretur.

P. 22. *Quod enim dici posset; quia pulchra,
quia amabilis; ea nulla ratio est.) „Si nempe
„pulchritudinis nulla sunt præcepta, nulla ju-
„dicia. At vero legantur, quæ in Baumgar-
„tii Aesthetica hac de re agunt. „ Pulchritu-
dinem, quæ in corporibus inest, ratione & præ-
ceptis, ut plurimum, contineri, non ignoro;
quanquam nescio, an semper ejus aliqua ratio
afferri queat. Quæ autem magis ab jucundo
sensu, quo animum feriunt, quam ab rerum
ipsa aliqua similitudine & convenientia, aëstro-
num pulchritudo & honestas dicitur, ejus mihi
quidem præcepta nulla dari posse videntur.
Actiones quidem ipsas, in quibus animi quæ-
dam magnitudo cernitur, ita pulchras esse in-*

telligitur, uti ipsa hæc animi excelsi magnitudo in illis inest: atque ita quodammodo habemus, cur pulchras esse dicamus. Cur autem animi magnitudinem ipsam pulchram dicamus, non habemus, nisi sensum. Actiones igitur singulæ habent genus quoddam, ad quod referantur, illud autem genus ipsum porro non habet, quo referatur.

P. 25. *Quæ et si nihil neque nobis ipsis nec aliis &c.) „At magnam nobis aliisque utilitatem afferunt. Honesta vero dicuntur, quia innumeræ ejusdem generis actiones, utilitatis publicæ creatrices, uno præcepti universalis nomine comprehendi & commendari possunt. „Quæ honesta sint, ea, ut plurimum, utilia quoque esse, ipse ego profiteor. Verum idem nonnunquam honestatem cum utilitate pugnare contendo. Ubi lectorem monitum volo, cum honestatem ab utilitate separamus, nos sola fortunæ bona, salutemque, ut hoc utar, externam utilitatis nomine comprehendere: non eam voluptatem, quæ ex iecte & cum virtute factorum*




conscientia oritur , maximam sane & fortunæ bonis , longe , si sapimus , anteferendam . Honestatem denique interna sua ratione naturaque sustineri , sejunctamque ab iis omnibus , quibus , quamvis satis propter se amabilis atque expetenda , præterea etiam commendanda videatur , constare posse , neque semper utilitatis , seu publicæ seu privatæ , creatricem esse , infra exemplis docebo ; quæ quidem ab Ehlersii impetu suo loco defendere conabor .

P. 26. *Quod autem honesti omnis cognitio sensu contineatur &c.) „ Ex tribus prioribus „ dissertationibus , hujusmodi initium & princi- „ pium esse , luce meridiana clarissimum , ut mihi „ quidem videtur , apparet. „ Illud vero seu initium seu principium vel stare vel corrue re necesse erit , uti , re diligenter accurateque ex- pensa , vel pares esse , tuendis nostris , vel impar- res , recte judicabimur . Ceterum conf. omnino , Ernesti initia doctr. sol. Jur. nat. C. I. §. 28. & seqq.*

Ibid. Sed ab externo sensu & abhorrent ista
 quam maxime, &c.) „ Sensus externus res
 „ actionesque humanas percipit, & ratio e com-
 „ parato aliarum ad alias habitu boni & honesti
 „ notionem elicit. „ Recte: nisi quod rationem
 potius, quemadmodum in externalium rerum
 sensu ac perceptione, nostro huic sensui quasi
 viam sternere, removentem ea omnia, que ob-
 stant, ne res sive actio aliqua talis appareat,
 qualis revera est, quam honesti ipsam notionem
 elicere dixeris. Sed de hoc plura infra.

P. 30. Sunt enim alia, hisque majora, que
 docent contemnere utilitatem, &c.) „ Quem-
 nam vero fugere potest, ex animi magnitu-
 dine omnium maxima rei publicæ commoda
 oriri? Hæc certe causa est, cur animi magni-
 tudine nil divinius esse jure dicamus. „ Quan-
 quam neque me fngiat, ex animi magnitudine
 maxima s̄epissime commoda reipublicæ nasci,
 tamen a me certe hoc impetrare non possum,
 ut omnem ejus virtutis, in hoc uno, vim po-




sitam esse existimem. Nec mortalium unum me
esse arbitror, qui magnitudinem animi ipsam
propter se, ac etiamsi nihil neque nobis ipsis,
neque reipublicae commodi afferat, demirari co-
gar. De singulari nempe aliquo facto, non de
virtutis ipsa forma loquor, quam veluti ceteras
omnes virtutes, ab utilitate separari non posse,
minime quidem ignoro. Verum & hoc & alia
multa, accuratius explicita etiam exemplis il-
lustrabimus.

P. 30. *Quod quanquam nec ii negent, &c.)*

„Omnino sibi constant, si rem recte tenent. Ex
„communi utilitate & sua cuiusque utilitas ori-
„tur. Sed nemini ad suam potius, quam ad
„communem utilitatem est respiciendum, quia
„si utraque locum simul habere non potest,
„suum cuiusque commodum utilitati communi
„cedat necesse est. Ubi vero communis utili-
„tatis potior cuique cura est, ibi rarissime ac-
„cidit, ut proprium eiusdem commodum cum
„bono publico pugnet. Utilitas publica igitur
„arctissimo vinculo cum privata utilitate con-


se juncta est; „ De ceteris quid judicandum sit, per se intelligitur, illud unum prætermittendum minime videtur. Suum cuiusque commodum utilitati communi posthabendum esse non nego. Verum non alio modo hoc intelligitur, quam cum, quæcunque pulchra, decora, laudabilia denique sunt, sapientem decere judicamus. Est igitur hoc officium ex eorum numero, quæ media veteres, non perfecta dixerunt, nostri imperfæta. Nam, quæ ab unoquoque civium res publica poscendi jus habet, hæc fere sunt. Suum cuique tribuat, neminem lœdat, fidem & pacta servet, communes patriæ hostes pro suis repudiet. Ea igitur omnia pœnis sancta sunt. At contra, quæ animi magnitudinem, moderationem ac fortitudinem virtutes sequuntur, eas, reipublicæ quamvis utilissimas, leges nec vindicant, nec vindicare omnino possunt. Superiora igitur illa, quamquam non minus ac cetera, quæ honestati subjecta sunt, officia omnia, proprio quodam & interno splendore lucent, præterea pacto quodam & convento, quo respublicæ omnes fundatæ sunt, nituntur, cuius etiam re-



spectu rationibus demonstrari possunt, & neglecta vindicari. Jam vero magnitudo animi coniunctaque illi virtutes, quoniam ab eodem fonte derivari nequeunt, queritur, unde momenta repetant. Itidem ab utilitate inquis. At incidunt tempora, ubi cum utilitate maxime pugnare pateat. Cujusmodi exemplum de deposito reddendo infra occurret. Sed fac, numquam incidere, qui tandem, suum cuiusque commodum semper utilitati communi posthabendum esse, docebis? An isthac lege cives constringi dices? At haec civium foedera atque leges neque exigere, neque neglecta vindicare posse jam docuimus. An homines? At velim scire, qui me hominem homo, nisi, ut se non laedam, ad ullum praeterea officium adegerit: Ut taceam, si cum meo ipsius damno coniunctum sit. At pulchrum est, aliis bene facere & honorum omnium vitaeque adeo discrimine communem hominum utilitatem promovere, pulcherrimum. Quid vero nisi pulchrum faterer? Sentio equidem hujus certarumque magni animi virtutum pulchritudinem, atque huic omnino sensui seu homini seu

civi obsequendum mihi arbitror. Quod igitur ratio argumentis mihi persuadere minime potest, ut aliorum hominum felicitatem domestica calamitate juvandam, & pro patriæ salute, bona, libertatem, animamque profundendam existimem, illud sensus iste non magis docet, quam impellit, ut faciam. Jam habeo, unde illa quoque officia deducam, a ceteris tantum distantia, quantum a ratione sensus distat. Neque enim necessitate verum pulchritudine sese commendant. Nam quæ pacto quodam mutuo inter se officia præstantur, in illis quidem necessitas quædam inest, pulchritudinem inesse, nemo dixerit. Cave igitur, fatis responsum putes, si quis, propter utilitatem, animi magnitudinem, civium amorem, fortitudinem, reliquasque horum similes virtutes expetendas esse dixerit. Perge porro, & quære, cur tanti sit, propter aliorum salutem, maxima aliquando incomoda suscipere.

P. 32. *Secutus Regulus, qui, si nulla alia, præterquam utilitatis, officia cognovisset, &c.)*
 „Nonne Regulus utilitatem publicam sequeba-



„tur? „ Vid. quæ modo ad pag. 30. observavimus.

P. 33. Ergo, quoniam mala mentis pejora sunt &c.) „ Quia nempe e mentis malis tanquam fonte reliqua omnia mala manant. „ In quibusdam turpitudinis generibus, præsertim iis, quæ corporis maxime ministerio utuntur, hoc verissimum; sed nescio, an omnibus idem contingat. Certe novimus, qui animi magnitudine omni carentes valido tamen atque fimo admonitum corpore utebantur. Quantis autem cruciatibus civium amor Regulum omnino constitit?

Ibid. Neque autem, si cum privatis publica commoda pugnare violentur, &c.) „ Honestas est actionis pulchritudo, cuius pulchritudinis notio ex actionis cum præceptis philosophiæ vel vitae communis convenientia existit. Illa vero præcepta a sapientibus hominibus nobis sunt tradita, qui rerum ad utilitatem publicam ratione habita, viderunt, quid hominibus sit agendum, si felices esse velint. Si

„igitur, quod honestum est, amantes & agen-
„tes non semper de utilitate inde nascenti, sed
„de actionis & rei potius cum præceptis, cui-
„libet probatis, convenientia, seu de actionis
„pulchro quasi colore, cogitamus: hoc ideo sit,
„quia, illa præcepta hominibus salutaria esse
„persuasi sumus, & quia nihil, nisi, quod bo-
„num & utile est, amare & facere apud au-
„mum constituimus. Illi vero, cui præcepta
„violandi nulla cupiditas est; potius est fiden-
„dum, quam qui semper, quatenus præcepto-
„rum observatio utilis sit, querit & incri-
„ditatis, præcepta laedendi, suspicionem incur-
„rit. Hæc mihi quidem causa esse videtur, eur
„homines honestum amantes potius laudemus,
„quam homines utile querentes, quamvis sa-
„pientissimus & optimus quisque utilitatem com-
„munem re vera sequatur, si originem ratio-
„nis, qua ad agendum impelli debeat, cogi-
„tando assequi studet. Videmus jam quid fibi
„velit, si potius utilitatem privatam cum ho-
„nesto pugnare quam cum utilitate communi,
„dicere sapientibus libitum fuerit. „ At vero,



si honestas, sejuncta ab utilitate, interna quadam pulchritudine placet, quinimmo, si cum utilitate aliquando pugnare videtur, discrimen illud non fictum nec ad communem loquendi usum accommodatum, sed verissimum est, & sapientes illi viri, qui, honesti naturam indagantes, cum utilitatis illam ratione confuderunt, falsi sunt. Vid. ad pag. 30. 34. & 42.

P. 34. *Jam vero saltare quem in foro, &c.)*
 „Si in foro saltare hominem gravem non de-
 „cere, omnes recte putant: vir sapiens, in fo-
 „ro palam saltans, omnino & sibi nocet &
 „aliis. Sibi nocet, quia virtutis fidem amittit,
 „quaे ipsi habita est; aliis vero nocet, quia,
 „quum aliij homines homini sapienti honestatem
 „curæ non esse, credunt, hujus exemplum pejus
 „agentes sequi sibi videntur & ad male agen-
 „dum illius exemplo incitantur. Ergo in foro
 „palam saltare cum utilitate communi & privata
 „omnino pugnat, sive re vera turpe sit, sive
 „omnibus turpe esse videatur. Scimus enim
 „eandem rem non omnibus honestam vel tur-

„pem visam esse , id quod & de saltandi con-
 „fuetudine valet , quam Romani turpem magni-
 „rumque virorum personis haud dignam , Græci
 „verò honestam esse judicarunt . „ Vir sapiens
 igitur non , hæreditatis adipiscendæ causa , pa-
 lam in foro saltabit , ne virtutis apud alios ex-
 istimationem negligere videatur . Cur autem eo
 virtutis , quæ ipsi habita fuit , fidem amittat ?
 Nempe , quia turpe judicant , certe indecorum .
 In quo aut recte judicant , aut temporum na-
 tionalis errore quodam & opinione duecuntur .
 Sin hoc : recte omnino vir sapiens , temporum
 atque hominum rationem habens , non faciet ,
 quod , et si turpe non fuerit , tamen esse ab aliis
 judicetur . At si recte ita omnes judicant , hoc
 aut eo fit , quia turpe est sua natura , aut quia ,
 propter ea , quæ inde nascuntur mala , noxium .
 Sin prius : patet , absque utilitate , honestatem ,
 ac turpitudinem , sine malorum metu & foimi-
 dine , constare . Sin alterum : cedo mala hinc
 oriunda . Sed noli hic iterum existimationis
 apud alios damnū iterum prætendere . Nam
 isthac quidem jam occupavimus . Si enim infa-




mia isthac ex aliorum de turpitudine judicio
oritur; non certe eadem illius judicii causa esse
potest. Jam, non eadem omnibus honesta atque
turpia esse, non ignorō. Addo etiam illud, non
omnia omnes pariter decere. Saltare igitur
turpe omnino habitum a Romanis, vel certe
indecorum atque indignum viri magni persona.
Atque ita profecto judicare decebat principem
terrarum populum, cuius tanta fuit gravitas at-
que majestas. Græcis mitioribus minusque au-
steris moribus populum eadem res non pariter
dederunt. Similiter jam Gallica levitas multa
fane admittere, sine ignominia, potest, Ger-
mano homini, vel in ipsa Gallia, indecora. Vi-
dendum igitur in rebus, sua quidem natura non
inhonestis, quid enjusque personæ maxime con-
veniat. Jam vero saltare, uti per se minime
indecorum, minus tamen sapientis gravitate
equidem dignum existimo. At saltare etiam in
fo-ro, Socrati pariter ac Catoni turpe, nec sa-
pientis, apud ullum terrarum populum, gravi-
tate dignum esse, conspirante philosophorum
omnium consensu ac voce, mihi, contendere

posse, videor. Quod si nihilominus obdures,
finge tibi quæsto animo, in ipsa levitatis summæ
matre Gallia, *Ruffavium*, aut *Alembertum*, aut
ipsum *Voltairium*, vel in Anglia, nunc *Hu-*
mium, aut olim *Popium* *Lockiumve*, vel in Ger-
mania, *Mendelssohnium*, *Ernestium*, *Sulzerum*;
Heynium, vel *Kæstnerum*, facetissimum tamen
hominem, innumerabilesque alios: vel Turici,
Lavaterum, *Hessiumve*, in foro saltantes.

P. 35. *At illi, turpe, inquiunt, quia ma-*
lum, &c.) „Semper ostendi potest, cur turpe
„malum sit nominandum, sive quanam in re
„malum, quod turpi inest, consistat.“ Vid.
quæ modo ad p. 34. dicta sunt.

Ibid. *Nemo igitur, si quempiam tale quid*
commisere videt, &c.) „Quia nempe, quum
„sapientes jam examinarunt, quatenus quælibet
„res utilitati communi conducat, non est, quod
„hunc examinandi laborem semper suscipiamus.
„Quorum vero est rerum causas indagare, iis
„&, quid turpe & honestum re vera sit, &



„quatenus homines in honesti & turpis notione
„fallantur, nec ne, examinandum est. „ Vid.
ad p. 33: b.

P. 35. Sed, *sive turpe sit, ejusmodi aliquid committi, sive malum, &c.*) „ Quid vero in-
„ terna sua natura commendatur, nisi quod ita
„ factum est, ut multorum variorumque bono-
rum quasi fons sit, e. g. amor erga alios eum-
„ que excipiens benefaciendi studium? Ita etiam
„ sua natura malum est, quo rerum pulcher or-
„ do turbatur, qua, quod bonum & perfectum
„ est, destruitur & quo jucundus naturarum sen-
„ tientium & intelligentium sensus earumque fe-
„ licitas impeditur & diminuitur. Videmus igi-
„ tur causam, cur aliquid natura sua vel bonum
„ vel malum appellemus. Etiam auctor p. 284.
„ id turpe esse dicit, quod aliis fraudi & de-
„ trimento sit futurum. „ Quod si per varia
multaque bona, ea, quae honestam actionem se-
quuntur, non internam illius pulchritudinem
intelligit V. Cl. nego, & cum ad alia multa,
tum ad ea ipsa provoco, quae modo attulimus.

Atque iterum illi assentior, si pulchrum rerum ordinem, actionis, cum illius, qui admittit, persona, convenientiam interpretetur. Quam si boni, aut, quam nostræ ætatis philosophi dicunt, *perfectionis* nomine adpellare libuerit, ego minime intercedo: dummodo bonum isthoc, aut malum, ab actionis interna convenientia aut discrepantia nullo modo differre memineris. Hoc enim est, quod dudum dicimus, alia per se expetenda esse aut fugienda, alia ob effecta demum probanda vel improbanda.

P. 36. *Quæ quoniam reliquis omnibus placet anteferri, &c.)* „Si ad commoda publica, in „eo, quod honestum & bonum est, respicien- „dum esse dicitur: nescio, qui inde sequatur, „ut nihil non patriæ causa sit faciendum. *Quæ* „enim unius hominis vel complurium hominum „ratio ad patriam, ea patriæ ad multas gentes „vel totum terrarum orbem ratio est. Si igi- „tur, quod patriæ utile esset futurum, illud „multis gentibus vel toti adeo generi humano „nocet; malum inde nascens commodis patriæ



„contingentibus majus ideoque non probandum,
 „non honestum est. Quum e. g. fide non ser-
 „vanda iisque, quæ in bello gerendo recta &
 „justa sunt, spernendis & violandis patriæ prod-
 „esse studemus: alias gentes impellimus, ut eo-
 „dem modo nobiscum agant & immani crude-
 „litati viam aperimus. Marcus Antoninus eo,
 „quo dixi, modo omnium rerum rationem esse
 „habendam jubet, quam, οἷι δὲ μεμνῆθατ,
 „τίς οὐ τῶν ὅλων φύσις, inquit, οὐδὲ τίς οὐ ἐμή,
 „οὐδὲ πῶς ἄυτη πρὸς ἑκάτην ἔχεται, οὐδὲ ὅποιον τε
 „αέρος ὅποιον τε ὅλη ἔσται, οὐδὲ ὅτι ἔδει ὁ παλιών
 „τὰ αὐτόλεθτα τῇ φύσει, οὐδὲ μέρος ἔτι, πράσσειν τε
 „οἷι οὐδὲ λέγειν. Lib. II. Cap. 9. „ Nolim hæc
 ita a me dicta existimari, quasi nullis invicem ci-
 vitates & respublicas, nec legibus, nec officiis
 obligari putarem. Eadem utique aliarum ad-
 versus alias, quæ singulorum ad singulos homi-
 nes ratio est. Quemadmodum igitur singulorum
 hominum in singulos officia jus naturæ docet,
 ac præscribit, ita quoque gentium jura descri-
 buntur. Verum & isthæc disciplina nulla nisi
 perfecta officia amplectitur. Et est certe, veluti

hominum aliorum in alios , ita populerum quædam animi magnitudo & moderatio , quæ nullis exacta legibus aut juribus , sponte tribuitur .
Vid. quæ ad pag. 30. diximus.

P. 38. *Et tamen utile patriæ hoc consilium videbatur , &c.)* „ Si re vera patriæ utile fuit „ nec mala toti generi humano metuenda inde „ nasci potuerunt , illud utile etiam honestum „ fuit , & Athenienses aliter sentientes errave- „ runt . „ Utile omnino tempore isto videbatur , si commodum spectes ; inutile , immo inhonestum , liberis hominibus , rempublicam cum dominatu commutare , vitamque servitute redimere , etiam si tyrannum , oppressis , æquissimis legibus impe- raturum , certissimi forent . Quæ autem inde mala , toti humano generi metuenda , nasci po- tuissent , equidem ignoro .

Ibid. *Est hoc in natura , non hominis solum , sed animantium omnium , &c.)* „ Quam pluri- „ mos aliter sentire experientia docet . „ De hominibus loquor , quales plurimi solent esse .




Nam si atra bile^{re} perciti quidam, violenta ma-
nu, fata sibi accelerarunt, eorum paucitas nil
valet adversus ceterorum multitudinem.

P. 42. *Quod si me interrogetis, cur tandem
malum, id est, turpe putem, quod nemini no-
ceat, argumenta, si queritis, nulla habeo: &c.)*
 „Ego vero habeo. Non redditurus omnino no-
 „cco illis, quibus illud depositum secundum
 „leges debetur. At male, inquies, illi, qui-
 „bus debetur, illo utuntur. Num igitur mei
 „est judicare, utrum male aliquis suo utatur,
 „nec ne? Num aliquis in republica vivere vel-
 „let, ubi, dummodo res omnino ignoraretur,
 „cuilibet, aliena bona sibi magis, quam iis,
 „quibus debentur, conducere putanti, ea &
 „sibi tribuere liceret? Num in republica, in
 „qua magna pravorum hominum multitudo est,
 „multi erunt, qui si ipsis alienis bonis, ut suis,
 „uti liceat, follicite perpendant, an illi, quo-
 „rum justa rei possessio est, carere illa possint,
 „nec ne? Nonne quisque tandem aliena ad se
 „raperet & nonne infinita malorum multitudo

„inde nasceretur? Hominem igitur, qui judica-
 „ret, se, aliena sibi tribuentem, reipublicæ
 „non nocere, & qui hanc suam opinionem se-
 „queretur, reipublicæ funestissimam pestem esse,
 „videmus omnes. „ At minime quidem isthoc
 est, de quo quæritur. Depositum, quale fingi-
 mus, utique non reddendum censeo, si hone-
 stas utilitate judicanda sit. Sed num, inquis,
mei est, judicare, utrum aliquis male suo uta-
 tur, necne? Omnino tuum est, si, honestatem
 non offendens, reipublicæ malum caveas. At
 res pessimi exempli erit. Credo, si legibus
 istiusmodi licentia immunitas promulgaretur.
 Hoc igitur est, quod diserte diximus, *si explo-
 ratum habuerit, ad nullius umquam hominis aures
 aut animum illud peruenturum.* Enimvero, in-
 quis, non habebit. Fortasse etiam: Sed non
 ita quæritur, quasi id umquam eventurum cre-
 damus. Verum ideo hæc finguntur, ut, aetio-
 nem aut honestam aut turpem per se esse, fa-
 tendum sit. Neque vero hoc ipsum ita singu-
 tur, ut, si quis se digito cœlum attingere, aut

F



binorum duplicato numero , non quaternarium ,
sed alium quemlibet numerum effici finxerit .
Jam vero multos , non contennendos , vidi phi-
losophos , quorum alii , se hoc , ita positum ,
facturos , alii , minime facturos , nonnulli deni-
que , se facturos quidem , sed hoc tamen pluri-
bus prædicare nolle , dicerent . O , qui sensum
nostrum , improborum hominum libidini velificari ,
fanaticique erroris portum & refugium esse , opti-
mi viri metuitis , ecquid melius vestra sibi ra-
tio constat ?

P. 43. — miron , cur non eandem infamiam
subeant , qui liberis dare operam unquam nolunt .)
„ Qui liberis procreandis operam non dant ,
„ exemplo suo non facile nocent , quia pauci
„ certe illorum exemplum sequuntur . Neque
„ aliorum hominum vitam vitiis , quæ ex turpi-
„ bus libidinibus oriuntur , inquinant aut mor-
„ borum effrenatas libidines excipientium conta-
„ gione inficiunt . „ Quod de exemplo dicit ,
verum est , & fateor , hoc discrimen inesse .
Vitiorum autem & morborum metu criminis in-

famiam omnem contineri, nemo dixerit, nisi
qui idem, si malis istis caveatur, sine turpu-
dine committi posse, fateri voluerit.

P. 45. *At ille primum negare, quæ dixi-
mus, deinde, cum acrius urgerem, fateri, &c.)*
 „Miror. Nam vagæ libidinis, si vel quis va-
 „letudinis rationem haberet & modum serva-
 „ret, multa mala esse, facilime ostendi potest.
 „Omnes fere gentes igitur, amore conjugali
 „nihil hominibus sanctius esse debere, credi-
 „derunt. „At vero, si attenderis, non de
 vaga modo libidine sermonem esse videbis. Ce-
 terum vult pietas, ut ad hunc locum aliquid
 moneam. Memini enim clarissimum illum vi-
 rum, quem, in disputatione, philosophum lau-
 davi, anno superiore, in literarum, quæ Göt-
 tingæ eduntur, ephemeridibus, cum de nostra
 disputatione judicium ferret, scripsisse, minus
 recte a me intellecta videri, quæ de familiari
 sermone protulisset. Id mihi accidisse, vere
 doleo: quanquam & mali consilii culpam
 omnem a me abesse, ipsi persuasum esse



scio, & nunc certe non possum aliter meminisse. Hoc igitur, ne silentio præterirem, & probi viri officium postulabat, & summus justissimusque, quo exquisitæ humanitatis & doctrinæ virum diligo, amor.

P. 46. *Illud enim jam arbitror, me declarasse, &c.)* „Cur aliquid, quod bonum & rectum est, potius honestum, quam utile, dicatur & unde fiat, ut animi judicium sensus nomine potius, quam intellectus, insignitur ex observationibus huic præcedentique disputationi adjectis & ex dissertationibus tribus prioribus patere, credo. „ Vid. quæ ad p. 33. b. diximus.

P. 48. *Quod si autem hoc dicunt, ut ostendant, quomodo putent, &c.)* „Non est, quod contra ea, quæ hic dicta sunt, aliquid monemus. Si nempe sensuum externorum, rationis & doctrinæ ministerio justæ de recto & bono notiones a teneris unguiculis inde in animo oriri possunt, quod satis superque in


„dissertationibus contra sensum moralem; tan-
 „quam cognoscendi principium, quod a ratione
 „& sensibus externis non pendeat, pugnantibus
 „demonstratum esse puto, & quod auctor hoc
 „loco, quum, nihil, inquit, esse, cur primas
 „honesti lineas sine sensu, de quo disputatur,
 „animo imprimi fateri nolit, concedit: cur igi-
 „tur ad sensum istum confugiamus? „ Operæ
 potissimum typographicæ errore deceptus Ehler-
 sius minus recte mentem meam percepisse vide-
 tur. Scripsoram igitur, *quomodo putent*, non
 vero *putant*, ut est, in *fascic. dissertat. philos.*
arg. Hoc autem dico: eo quod doctrina & pue-
 rilis institutio honesti sensum, apud plerosque,
 antevertat, minime quidem effici, ut honesti
 nullus sensus sit. Rem exemplo illustravi, quod
 vide. Denique fassus sum, primas honesti lineas
 animo, sine sensu, imprimi: i. e. honesti non
 persuasionem, non *iustas*, de recto & bono,
notiones, sed *fadem* & *præjudicatam* opinionem,
 quæ non argumentis, sed *testimonio* nititur.
 Quippe infantes parentibus & magistris omnia
 credimus, neque *falsa minus quam vera*, donec



ad illam ætatem pervenerimus, quæ suis ipsa oculis videre queat. Ceterum semel aliquid monendum videtur, ad quod legentes maximopere attendere velim. Namque hic & alibi passim, de sensu nostro, ita loquitur *Ehlersius*, quasi illum, neque ex sensu externo, neque ex ratione, pendere ullo modo existimarem. Quod certe minime existimo. Ex utroque igitur ita pendere statuo, ut externo sensu indigeat, quo se se ostendere possit, & ratione, qua dirigatur. Quod quale sit, uberioris alio loco disputabitur. Neque igitur nos ex eorum numero sumus, qui sensum istum eo fere modo insitum animo existimant, quo nonnulli rerum quasdam notiones, a natura *ingenitas* esse credunt. Sed ita sensum istum naturalem homini & ingenitum quodammodo dicimus, ut mentis vires omnes, quæ, ab sentiendi facultate diversissimæ, tamen, sine illa prorsus numquam se se ostenderent, verum æternum in animo sœpitæ jacerent. Quod igitur Lockius principia practica nulla animis ingenita disputat, illud ad sensum nostrum, ab istorum

hominum doctrina quam maxime diversum minime pertinet.

P. 49. *Quare, ut omnes, in genere, animi vires, nisi diligenti cura excolantur, languent, &c.)*
 „Sensus voce auctor ita uti hic videtur, ut cognitio, sensuum externorum rationisque operae partae, fructus sit. Quis vero est, qui hujusmodi sensum moralem neget? „ Dicam semel, quod sentio. Sensum nostrum, cognitio sensuum externorum rationisque ope partae fructum esse, prouti intellexeris, aut dico, aut non dico. Nego scilicet, nisi singularem aliquam ingenii vim, a ratione & judicio diversam intelligas. At fateor, si, ut sensus ille sese ostendere possit, & externorum sensuum quoddam, & ne in errorem inducat, rationis munus esse dixeris. Quemadmodum igitur ratio cæteræque mentis vires omnes, sine externorum sensuum impulsu & ministerio, nullæ sunt, quemadmodum eadem illa ratio notiones ex se omnino nullas fingit, sed tantummodo ea, quæ, sensuum nuntiis impulsâ, mens semel per-



ceperat , separat & diverso iterum modo con-
jungit : h. e. quemadmodum neque ratio vel
judicare vel ratiocinari , nec tandem phantasia
communisci ullam rem , sine notionum , sensuum
ope acquisitarum , copia potest , ita quoque sen-
sus ille actionum nonnisi illarum , quarum ima-
go , per sensum externorum instrumenta , ad
animum delata fuit , internam aut honestatem
aut turpitudinem percipit . Hoc enim est , quod
philosophi dicunt , omnium rerum cognitionem
ab sensu potissimum oriri , prorsusque nihil esse
in intellectu , quin idem antea fuerit in sensu .
Porro eodem modo ratio sensum isthunc , quo
ceteros , dirigit , seu verius , rem subjectam sen-
sui quodammodo præparat , eaque omnia fejun-
git , quæ obstant , quo minus aut talis illa res
sive actio , qualis est , aut tota sensui subjicia-
tur . Quæ multorum errorum causæ sunt . Ita
si turrim eminus , quadratam , ut videtur , spe-
ctaveris , jubet te ratio judicium tantisper tuum
suspendere , quoad proprius accesseris : atque hanc
ob causam sensum illum verum rectumque ra-
tionis quodammodo fructum dixeris ; quamvis

ratio minime quidem ipsa sentiat. Pari modo,
 ubi hominis, justam scelerum pœnam expen-
 dentis misericordia ita tangeris, ut suppicio, si
 per te staret, erectum velles, hoc eo fit, quod
 rem eminus & quasi per transversam nebulam
 adspexit. At ubi ratio dispulsi nubibus rem
 tibi totam ac talem ostenderit, qualis in se est,
 tum vero aliter *senties*. Quos igitur sensus ho-
 nesti aliquando fefellisse videtur, ecquid aliud
 fecerunt, quam ut quadratam turrim judica-
 rent, quæ rotunda fuerit? Et tamen hic error,
 si recte videris, minime sensus verum rationis
 aut judicii est. Intelligis jam, quid mihi ve-
 lim, cum sensum nostrum ratione dirigi eadem-
 que excoli posse contendeo.

P. 50. *Quod velim quoque animadvertant*
ii, &c.) „Ex variarum gentium diversa de
„honesto opinione vero sequitur, ut sensus hic
„non certus ad virtutem & bonum morale dux
„fit, & ut, prout cognitio, sensibus rationis-
„que usu & educatione vel institutione compa-
„rata, diversa est, & cognitionem sequens ani-




„mi motus vel sensus diversus sit., Atat si honestum & turpe non sensu aliquo sed ratione & judicio intelligi dixeris, ex variarum gentium diversa de honesto opinione pari modo sequitur, ut ratio ista non certa ad virtutem & bonum morale duxit. Anne tandem vident, eadem illa incommoda, quibus sensum nostrum urgent, etiam in suam rationem relapsura esse? Sensu n. vero istum, prout cognitio sensibus rationisque usu & educatione vel institutione comparata, diversa sit, etiam differre, i. e. vel excoli, vel corrumpi posse jam dudum fateor. Conf. ea, quæ proxime ante diximus.

Ibid. Utuntur ratione homines omnes, sed nonnulli perperam: Et c.) „Si perperam ratione „homines utuntur, hæc ratio re accuratius ex- „aminanda rationes invenire tamen potest, cur „aliquid verum & falsum, bonum & malum „atque pulchrum & deforme sit. Hujusmodi „examen vero a sensu, si fallitur, institui non „posse, non est, quod dicam. Deinde auctor „dicit, homines, in quibus honesti rectique

„sensus insit, in magni momenti rebus a se
 „non discedere. At si sensui fidendum est;
 „cujusnam hominis sensus aliorum hominum
 „sehnsus iudex erit, & quomodo sensu duce,
 „quinam sint, quibus recti sensus insit, com-
 „periamur? Jure quilibet posset, ut suo po-
 „tius, quam aliorum sensui credere sibi liceat. „
 Ego vero, etiamsi interdum sensus fallatur, me
 habere existimo, cur id accidisse dicam. Vid.
 ad p. 49. Ad cetera responsionem in disputa-
 tione ipsa occupavimus.

P. 51. *Verum illud rogo, unde sciant, non*
Spartanos, &c.) „In iis rebus, ubi ratio,
 „cur aliquid bonum aut malum sit, facile vi-
 „det, obscure plerumque erroris veritatisque
 „imago ante oculos versatur & impedit, quo
 „minus homines omnino acquiescant & sensu
 „jucundo moveantur, si errantes recte agere
 „verumque sequi sibi videntur. Quodsi vero
 „accidit, ut illam veri rectique speciem ratione
 „omnino non videant: tum mali sensum, sive
 „potius sensum animum agentem, illis omnino



„non esse, quemque sua experientia docet. Ju-
„cundus enim est male agentibus sensus, si se
„recte agere certo persuasi sunt, qui quidem
„sensus statim mutatur, simul ac infelicem er-
„rorem cognoscunt. „ Hoc omne, quidquid est,
fateor. Sed me minime ferire arbitror.

P. 51. *Excipio tamen eos, quos natura fece-
rat tardiores, &c.)* „ Quibus nempe pingue in-
„genium est & quorum intellectus non facile,
„quod bonum & verum est, videt. „ Vid. ad
p. 49.

P. 52. *Ergo in illo utilitas vicit honestatem.)*
„ Quasi vero ejusmodi lex reipublicæ vere uti-
„lis esset. „ Num reipublicæ ejusmodi lex vere
utilis fit, ego nescio: at, *Spartanorum* reipublicæ
utilem fuisse, certo mihi scire videor.

Ibid. *Si me interrogent, quem præferendum
putem, &c.)* „ Quomodo vero colendus? Ra-
„tionis lumine? Institutione? Sensuum externo-
rum usu? At sensum istum sua ipsius vi niti,


„non sensibus externis , non ratione , non institutione , affirmant . „ Vid. ad p. 49.

P. 54. *Potest enim , quidquid tandem non nulli dicant , &c.)* „ Ergo sensui illi non semper est credendum , ergo rationis examini ille est subjiciendus . „ Vid. ibid.

P. 55. *Nempe hominem vident , maximos cruciatu summa cum ignominia sustineutem ; praeterea nihil vident .*) „ Rechte. Ergo adspectus solus non sufficit , ergo intelligentiae judicium accedat & sensum formet , necesse est . „ Vid. ibid.

Ibid. *Sed fac videant , &c.)* „ At quid est , quod hæc videt ? Nihil certe nisi ratio . „ Vid. ib.

P. 56. *Quod quidem non est , cur miremur , cum , &c.)* „ Num hi philosophi omnium rerum rationem reddi posse credunt ? An potius , si quid verum & bonum esse certo



„sciunt, etiam, cur illud verum & bonum
„putent, rationem afferri posse, affirmant? „
Mihi hic certe fermo non fuit de eo, quod
philosophi aut bonum aut malum judicarent.
De multorum enim, quæcumque demonstrandi
libidine & pruritu locutus eram.

P R Æ L E C T I O N E S
A C A D E M I C Æ D U È.

Opinionum commenta delet dies ;
Naturæ judicia confirmat. C I C.

QUESTIO STOLPIANA
ANNI MDCCCLXXIV.

Quodnam , in adserenda Numinis
existentia , pretium statui debeat
communi humani generis consensui.

Quod felix sumque sit, Auditores O. O.
 H. prodeo in conspectum vestrum, vel apertu-
 rus fabulam, ab alio peragendam, vel præpa-
 raturus stomachos vestros, cibo non jucundissimo,
 ad secundæ mensæ delicias. Neque enim me
 folum per integras hasce ferias oratorem audie-
 tis, sed semel iterumque procedens huc, & lo-
 cum & plausus vestros alteri lubentissime sum-
 cessurus. Etenim cum ingrumente jam atque im-
 minente isthoc per ludos & Academiam ceſſa-
 tionis tempore a magnifico Rectore excitarer,
 ut solitum certis constitutisque diebus orandi
 munus fusciperem, quo sapientissime cautum fuit
 a majoribus nostris, ne honestum otium in lan-
 guorem & desidiam verteret, & studiorum in-
 tentio non remitteretur modo, sed prorsus ab-
 rumperetur, dupli me magnifici viri vel jussu
 vel precibus, affectum sensi solicitudine. Nam-
 que illius auctoritati, penes quem summa rei
 universæ scholastice cura & imperium erat, non

G



obtemperare, impium: viri autem humanissimi,
& quæ mihi vita ipsa sunt cariora, veri recti-
que fortissimi vindicis & patroni, de re littera-
ria, de me ipso, si tamen aliqua ea laus est,
præclare meriti preces & hortationem eludere,
etsi poteram, ingratissimum tamen videbatur.
Deinde vero & arctissimum temporis spatium,
& doctissimorum hominum frequentia, quos in-
terdum hue confluere sciebam, & immensus la-
bor, quo me omnia mea, vel propter ingenii
mediocritatem, vel nimiam fortasse fereque su-
perficiosam diligentiam, constant, & ipsa, quæ
tantopere apud me valet, laudis nostræ & exi-
stimationis apud vos ratio, hortabantur, ut
munus isthoc, quounque modo possem, a me
dimoverem. Hisce igitur & similibus cogitatio-
nibus incerta mente & inconstante agitato mihi
opportune succurrebat, familiarem nostrum Mei-
sterum, clarissimum virum, confiendo & edendo
aliquo scripto contra fanaticorum hominum in-
eptias, uti ajebat, operam dedisse. Quam ego
optimam occasionem ratus, qua rei non gratis-
simæ me subducerem, tentavi, si forte eum

possem impellere, ut, quod mihi delatum erat,
 munas in se fusciperet: nec tentavi priusquam
 ille, qui nostis hominem facilitate, Iubentissime
 annuit. Facile igitur vir humanissimus vicissim
 hoc a me impetravit, ut valetudinis curandæ
 causa aliquot dies thermas invisurum operis ali-
 qua parte sublevarem. Id autem cum jam con-
 stitutum esset, ut semel aut bis apud vos P.
 O. O. A. verba facerem, adverbia nunc cepi
 excutere ac dispicere, numquid ad manum es-
 set, quod & vestræ Aud. auctoritati & studiosæ
 juventutis usui foret accommodatum. Inter
 pauca vero, nam multa adeo non suppeditabant,
 offendit scriptum aliquod super argumento, ab
 humani generis consensione petito, quo multi
 in statuenda aliqua divina natura utuntur. Quod
 uti olim conscripseram, ita nunc bona cum ve-
 nia vestra A. O. O. H. fine mora recitabo.
 Cogitanti mihi saepe, quid causæ esset, cur
 tot tamque acerbos hostes religio, qua non alind,
 hominum vita, nec præstantius munus nec fa-
 lutarioris immortalis Dei beneficentia tribuit, di-
 versis temporibus experita fuerit, non una pro-



fecto neque eadem semper tanti mali causa atque origo fuisse visa fuit. Habet sane ipsa religio multa, quibus perversæ indolis hominum iras atque odium in se concitare possit. Purum & intemeratum cultum, quem non magis inani rituum apparatu, quam vitæ innocentia morumque sanctitate, supremo Numini, non simulata probitatis specie, sed mente atque animo exhiberi postulat, non omnibus item placere posse, clarum est. Quod si, ut olim, oblatis precibus hostiisque cæsis, Dei iram averti posse, etiamnum facrorum ministri aut ipsi crederent, aut certe aliis persuaderent, melius profecto cum isthae disciplina omnibus conveniret, nec tot tantaque nefaria ad ejus interencionem bella geri, tot impias malorum voces atque rumores spargi, tot eorumdem scelestissimos libros, in humani generis dedecus & opprobrium, vulgari ac disseminari videres. Nunc cum ista religio sancta & intemerata, qualis certe ab扇ioribus hujus nostræ ætatis viris, digna hominum cultu, digna auctore Deo habetur, nisi optima quæque & justissima non præcipiat, cum non donis ul-

lis, nec votis solum aut precibus, verum multo magis virtutis studio atque amore cœlestè Nūmen gaudere doceat, cum frenum eadem hominum petulantiae libidinique injiciat, mirum profecto non est, deperditos quosdam nequitiae ac scelerum patronos, istius tanti jugi impatientes, facrorum omnium interitu, propriæ cladi parentare velle. Quæ quidem neglectæ aut impugnatæ religionis ratio inprimis magna fuisse mihi videtur; quanquam ejusdem mali plurimas alias causas enumerare possem, nisi alienum ab instituto judicarem.

Sed præter cætera plurimos longe, eoque magis metuendos, quo integriores hostes religioni peperit inofficioſa quorundam sedulitas, qui, optimo quidem studio & voluntate, sed eventu minime pari, quæcumque, ad conciliandam saluberrimæ disciplinæ fidem, aliqua veri specie proferri posse existimabant, ea omnia magna undique ambitione congeſſere. Ex quo consequi illud necesse erat, quod fere evenire solet, ubi adſensionis firmitas non argumentorum pondere, sed numero æſtimatur, ut temere




susceptum religionis patrocinium illius auctoritatem hand parum infringeret, & labefactaret, inauspicataeque artes mox in ejus disciplinæ perniciem verterent, cuius tuendæ causa quæsitæ fuerant. Nam & pessimorum quorundam hominum, quibus, sanctissima quæque temerare, nulla religio, columnias effugere minime poterant, multique præterea boni viri, nec quo jure, aut a quibus hominibus, ea dicta essent, considerantes, omnem Dei cultum, quem tam levibus ac infirmis adeo præsidiis egere existimabant, contemptui habuere.

Ex quo apparet, quantopere de hominum commodis & salute essent merituri, qui, animo a præjudicatis opinionibus libero & in neutram partem temere proclivi, quæcumque, pro religione, paulo suspectioris fidei argumenta vel credita adhuc vel prolata fuere, ea omnia studiose ac diligenter excenterent. Ita enim non solum, mirum quanta fides bonæ causæ accederet, magna que malis calumniandi materia eriperetur, sed eadem opera pessimo malo cautum foret; ne scilicet, indicta causa, cum errore si-


mul recta ratio damnaretur. Neque enim illud dissimulandum videtur, omnibus fere falsis, quemadmodum Tullius ait, quædam vera ad mixta esse; quæ si una abjecerimus, non erroris ista depulsio, sed commutatio fuerit. Venti cum queritur, quodnam, in adserendo Numinе aliquo, pretium statui oporteat communī omnium hominum consensioni; isthanc rationem, quemadmodum a plurimis fieri consuevit, tanquam justum firmumque argumentum, cur Deum esse credamus, adduci, admodum periculosum, at totam rem abjici penitusque negligi, non minus temerarium videtur. Quod quidem ex iis, quæ super hac causa deinceps differere constituimus, omnino clarum fore speramus.

Quod in communī hominum vita & consuetudine accidere saepe animadvertisimus, ut, variis in rebus, multi inter se certarent, antequam de eorum, quibus totius pugnæ ac dissensionis summa continebatur, natura, inter ipsos convenisset, id, aut fallor, aut tantum in hac ipsa quæstione, dissidium & principio genuit & ad præsens usque tempus produxit. Evidem



sic mihi persuadeo, istius argumenti vim, & optimo consilio & rationibus non contemnendis, utrumque a multis defensam pariter ac impugnatam fuisse, ut neutra pars, alteram se devicisse, jure gloriaretur, ac rem justis momentis perpendenti, cuius causa deterior fuerit, judicare admodum difficile fit. Quod uti novum ac vix credibile primum yideri possit, ita re accuratius considerata nemo mirabitur. Etenim quis rerum peritus nescit, ex omni enunciatorum numero paucissima ejus naturae esse, ut, nude nullaque re adjuncta, proposita aut vera aut falsa judicari possint? Variae sunt ac diversae rerum formae atque species, quibus nisi omnibus exploratis, facillima est ad errorem propensiio. Neque vero in omni disjunctione sufficit, alterutram partem negasse, nisi prius, totum hoc, quod propositum erat, negari posse, constiterit. Quid igitur juvabat, utrum Deum esse, hoc argumento foret, quod in hoc uno omnes terrae gentes consentirent, tantopere disceptari, cum nec ante, quid argumentum haberetur, nec qualem istum consensum intelligi oporteret,


exponeretur? Scilicet res loquebatur. Et hoc ipsum crederem, nisi a variis diverso modo eam rem impugnatam, nec ab omnibus defensam eadem ratione viderem. Sed plerisque ita visum, ut, vel a natura, vel ab ejus opifice atque auctore Deo, istam hominum animis principio innatam constitutamque opinionem judicarent. Quibus ab aliis in epte satis ita responsum fuit, quasi imperita multitudinis judicium, in maximi momenti rebus, plurimum auctoritatis habere statuissent. Contra ea haud paucos istius doctrinæ patronos fuisse crediderim, qui eadem illa, quæ ab aliis naturali cuidam & quasi ingenito lumini tributa fuerunt, rationis ac intelligentiæ vi hominibus primum innotuisse existimarent. Et id quidem recte: quanquam illos, explicata re penitus, & orationis tollere ambiguitatem & omnem calumniandi materiam detrahere oportuit. Altera erroris causa hæc fuit, quod rem maximi certe, ad probabilitatem, momenti, in qua vero nulla nec assensionis firmitas nec certa persuasio, argumenti nomine adpellavere, magis, ut opinor, securi



communem loquendi consuetudinem, quam diale^ticorum subtilitatem. Quod & ipsum aper-
tum erat, ad reprehendendum, & adversariis,
verbum prementibus, totam rem omnino ne-
gandi causa fuit. Optimum igitur factu ratus,
& omnem calumniandi occasionem, & justæ dis-
fensionis causam evitare, primum hoc apud ani-
mum constitui, ut, qualis iste hominum de na-
tura Dei consensus, mea quidem opinione, ha-
bendus esset, exponerem, tum non vulgari ho-
minum opinione, & inconstanti loquendi con-
suetudine, sed ex diale^ticorum certa præceptio-
ne in justæ conclusionis & ratiocinii, quod ar-
gumentum vocant, vim & naturam inquirerem.
Quibus rite explicatis, nemini, ut opinor, de
tota hac quæstione judicare difficile fuerit.

Hic autem ad propositum accedere volenti,
in ipso limine, impedita admodum ac perdiffi-
cilius quæstio occurrit. Rem quippe tacita mente
volvens, cum jam stricturnus calamum medita-
bar, qua optime ratione suscep^to munere de-
fungerer, isthac mihi apud animum, sese cogi-
tatio obtulit. Magnam sane ac gravissimi pon-

deris disputationem aggredieris, quæ hominum omnium, circa præstantissimam ac saluberrimam rem consentienti voci fides aut tribuenda sit, aut neganda, explicaturus. Quid autem? Satis ne tibi, de illo ipso, qui tanto nonnullorum rumore fertur, humani generis consensu, exploratum? Nonne igitur rei, vel suspectæ vel temere creditæ, aut omnino falsæ, inutile patriter patrocinium ac inepta reprehensio? Atque hæc, fatebor enim, cogitatio, pæne me quadam tristitia affecit, nisi quod optimo cuivis, quæ e vero reperto sublatoque errore nascitur, maxima voluptas esse solet. Deinde vero illud etiam me solabatur, quod, vel minime profiliata hac quæstione, tamen haud inutile putabam, utriusque causæ patronos certis limitibus circumscribi & coerceri, ut, quid, vel concessa re, vel negata, efficeretur, per pensis rerum momentis, pateret. Illud enim, nisi fallor, sperandum minime fuerit, ut vel ego, vel aliis quisquam, istam, de humani generis consensione, maximam fane ac difficillimam quæstionem expeditat.



Jam enim mihi videor audire maximum illud ætatis suæ literarum lumen, nihil non argutiis, sed & rationibus efficientem Bailium. En tibi, inquit, orbem totum, brevi tabella descriptum. Videsne, quantum terrarum incognitum lateat? Quanta australis plague vastitas? Quantum terræ continentis, quantum insularum, ab iis, qui orbem describerent, propter insecitiam, obrutum undis existimas? Qui tanto-pere humani generis, circa religionem, consensum jaegas, fac, sciām, quæ sit istarum gentium de divina aliqua natura opinio. Ista enim tantas regiones desertas jacere & incultas, haud fane facilis, quam, qui eas incolunt, omnes aliquo Numinis sensu tangi, impetrabis. Jam earum gentium, quas ipsas novimus, magna, si vellem, mihi copia enumerandi foret, quot, cum apud veteres, tum apud recentiores, populi ac nationes, & olim omni prorsus Numinis sensu ac cultu caruerint, & hodie careant. Testes laudarem Strahonem, Diodorum Siculum, Homerum, Theophrastum, alios. *)

*) Vid. continuation des pensées diverses &c.
par M. Bayle Tom. I. à Amsterd. 1722. p. 55.

Audires præter ceteras gentes, nuperrime detectas, Soldaniæ, Brasiliæ, Borandiæ insularumque Caribearum incolas, quos omnis prorsus religionis expertes esse, itinerum ephemerides teſtantur. *) Dices fortasse, hæ & similia narrantibus fidem non habendam; ut plurimum rem fama & auditu conſtare, quæ ab aliis acceperint, ea pro veris venditare, vel parvum temporis intervallum ibi moratos, istorum populorum mores, ingenium, linguas raro perdidicisse: non denique deeffe, qui iisdem de gentibus alia omnia narrent. **) Non vides, quantum mihi, ea negando, licentiam comparaveris. Fateor, ea sic esse, ut vis; quo autem modo, illos omnes turpiter falsos, hosce vera omnia & vidisse, & nunciasse mihi perſuadebis? Alteram me partem vanam credere, de altera ne dubitare quidem vis? Abi igitur hinc, si tanti videtur, remque tuis oculis, si tamen acutum

*) Vid. Jo. Lockium de intellectu humi. Lips.
1709. pag. 71.

**) Conf. Lud. Fabricii Apologiam pro genere humano, contra atheifmi calumniam. part. 3.



cernis; diligenter exploratam huc refer, aut certe, in tanta testimoniū diffensione, patere, me, quid aut verum aut falsum fuerit, in dubio ponere. Fac autem, illud te mihi persuasissime, quod certe numquam persuadebis, ut credam, omnes terrae gentes in eo & nunc & olim consensisse, ut Numen aliquod existere putarent, qua ratione idem tibi de singulis hominibus constare poterit? Visne, tibi ostendam, quod nemo omnium ignorat, & omni tempore fuisse, & nunc esse multos, qui rationibus, divinari omnem naturam, tollere conati fuerint? Quorum detractis suffragiis, ubinam tuus iste consensus? Nam illos, qui nondum nati sunt, taceo; quanquam consensus iste homines, qui sunt, aut fuerunt, aut futuri sunt, omnes complectatur, necesse est. Vides, te, quoquo verteris, undique circumfessum teneri, erroris nullum refugium, nullum male institutae rationis exitum reperiri.

Contra haec igitur, ut verum fatear, nolim mihi dicendum esse; sed tamen, si omnino dicendum foret, non magis hostis opes minuen-

das, quam nostra ab illius impetu defendenda arbitrarer. Et primum hoc ego lubens faterer, me ignorare, qualis, aut an omnino sit aliqua earum gentium, quas ad praesens usque tempus mortalium nemo invisit, religio. Deinde illud quoque ingenue profiterer, de veterum in primisque recentiorum multis populis minime militi quidem liquere, utrum Numen esse quoddam divinum crediderint, nec ne. Plures quidem propter causas probabile mihi videri, multas ab itinerum auctoribus, novitatis studio, fabulas, & portenta vulgata fuisse, quibus deinceps alii temere fidem habuerint. Ea vero me, velut incerta, nec credenda omnino neque prorsus negligenda existimare, haud magis mihi, vel alii cuiquam, consensum illum tuenti obesse puto, quam prodeesse negantibus, donec vera esse, certis argumentis docuerint. Quin immo, salvo isto consensu, illud me urgenti daturum arbitror, plerasque & olim fuisse, & nunc esse gentes universas, quae de Numine hanc umquam cogitarint: nisi forte, qui rem aliquam ignorat, vel hoc ipso illam negare existimandus



fit. *) Quid enim? egone Cæsarem fuisse aut Pompejum inter omnes constare non dicam, etiam si longe maxima hominum pars ne fundo quidem ea nomina acceperint? Neminis fuit umquam nec esse potest, in ulla re, nisi, quid ageretur, consciit, judicium aut suffragium, nec, qui silent, negasse censendi sunt. Quare consensum illum equidem, si quis talen intelligat, ut doceatur, qui populi aut nationes Deum esse vel crediderint vel negarint, ut res ceciderit, salvum puto: verum si queritur, utrum apud omnes ubique homines Numinis aliqua notio reperiatur, illud ego, quanquam haud fa-

*) Isthæc iam scripseram, cum forte incidit in manus, nescio cuius Francogalli, libellus, quem reperi idem fere sentientem. „On pré-
„tend qu'il y a des sauvages, qui n'ont au-
„cune idée de la Divinité. Si le fait est vrai,
„ce sont des malheureux abrutis par des cir-
„confances particulières. La misère & l'a-
„bandon les ramènent sans cesse aux nécessi-
„tés physiques, & l'on ne peut dire qu'ils re-
„jettent l'idée d'un Etre suprême, mais scèle-
„ment qu'ils ne la connoissent pas. Le Théis-
me, essai philosophique. T. I. p. 46.

cile negari posse existimo, adfirmare tamen minime sustinuerim.

De singulis autem hominibus, qui omnem prorsus religionem sustulerint, dicere multo minoris operæ ac fere supervacanum judicarem, nisi multum in eo Bailius ponderis ad tollendum illud, quod volebat, inesse existimaret. Nam nisi superiora illa, ad explicandum essent impeditiora, haud sane erat, cur de tota hac quæstione dubitaremus. Non equidem diffiteor, nonnullos interdum extitisse, qui optimo animo consilioque ac rationibus, ut putabant, adducti, Deum esse negaverint; id tamen hominum genus haud minus rarum esse, quam leonem sine stomacho, bovem sine cornibus, nasci, cum Maximo Tyrio juxta adsero. Spinozam vulgo notum est, haud vulgaris in rebus philosophicis ingenii virum, Numinis omnem religionem funditus evertisse. Et optimum tamen virum fuisse accepimus, multisque aliis, quibus Deum esse, persuasum erat, honestiorem. Fateor, nec latet rerum peritos, ejus erroris causa & origo.


H

Quot autem mihi dabis, ex omni ævo, similes
istius philosophi viros? Et jam illum ego an-
diam, qui in una Parisiorum urbe plures ait,
quinquaginta hominum millibus, suo tempore, ab
omni prorsus divini Numinis cultu alienissimos
fuisse? *) Qui numerus et si vel tibi, optimè
Baili, tantus videatur, ut rite hominem calen-
dos posuisse dubites, nihil tamen habet, quod
in ea urbe, deliciis omnibus adfluentे, tantaque
hominum cujuscunque generis frequentia, me
perterreat. Iстis fortasse moverer, si quis de
cetera Galliae parte, maximis opulentissimisque
urbibus exceptis, si de Belgii incolis, si de
Helvetiæ eadem prædicaret. Nunc cum scio,
perditorum hominum isthuc undique sentinam
confluere, certe non foret, quod magnopere
mirarer. Si autem quis curiosus copias illas,
impiorum numerum tantopere augentes, instrare
velit, tum vero etiam religioni tales hostes na-
ctæ gratulabitur, ultroque detractis hisce omni-

*) Le Pere Mersenne dans son commentaire
sur la Genèse imprimé à Paris l'an 1623. v.
Bayle Pensées divers. T. I. p. 66.

bus, humani generis consensum immotum sibi constare profitebitur. Videbit hominum genus natum in suam aliorumque perniciem, fraude ac scelere viventium, heluorum, sacerdorum, prostibularumque impurum gregem, quarum ad triginta mille & nomen & vita genus publice professas nuperrime accepimus. Hosce igitur omnes, pariter ac delicatulos illos, nitidos ac calamistratos homunculos, quorum unum opus est nihil agere, de Numine umquam cogitasse putabimus: aut si cogitarunt, an adeo mirum, eos, quibus Deum, scelerum vindicem, nullum esse tam opportuna res erat, id primum optasse, ac deinde, ut fieri solet, vel invitatis fibimet ipsos persuasisse? *) Hoc igitur ad tollendum

*) Il ny a rien de plus monstrueux dans la nature, que l'atheisme — ce ne sera point un homme sage, reglé, raisonnnable, qui s'avisera de douter de la religion. Ce sera un petit esprit, enflé du succès d'un Sonnet ou d'un Madrigal, lequel lui aura réussi dans le monde ; qui croira frottement, qu'il est plus beau de douter de la religion que de s'y soumettre. Ce sera un débauché, qui n'a jamais eu la teste assez libre, ni l'esprit assez net,




humani generis, circa religionem, consensum nullius momenti esse patet: superiora vero in neutram partem constare posse; & quæ aut vera aut falsa fuerint, aperto discrimine monstrari, rem tantæ molis esse existimo, ut mortalium nemo ei expediendæ sufficere queat.

Illud jam videbimus, quæ prima diversis gentibus ac nationibus causa fuerit, ut Numen aliquod esse existimarent. Qua quidem re accurate perpensa statim apparebit, quantum communis illi, si tamen omnino est aliqua, hominum consensioni tribuendum sit. Ejus autem rei triplicem omnino rationem mihi animo ef-

pour juger sainement d'aucune chose. Ce sera un Courtisan, qui n'a jamais rien étudié à fond, & qui ne fait, que quelques chapitres de Montagne, ou quelques périodes de Charron. Ce sera un faux sage, qui n'a de prudence & de conduite, que pour sauver habilement les apparences, bien faire son personnage & jouer parfaitement la comedie. Ce sera une femme enivrée de son mérite & abandonnée à son plaisir, qui n'a d'esprit que celui qu'elle s'est fait de son libertinage.
E Rapino Bailius. Pens. d. T. I. p. 65.

fingere possum. Nam aut a primis recentis terræ incolis hæc ad ceteros omnes manavit opinio, aut ipsum hoc vel a natura vel ab ejus opifice Deo anticipatum informatumque animis, vel tandem ea ab rerum omnium mundique universi admiratione profecta, & confirmata ratione persuasio est.

Primum igitur ne fuisse credam, cum alia multa tum hoc maxime obstat, quod plerarumque veterum inprimis. quos novimus, populorum religio talis est, qualem ipsi potius effinxisse quam traditam accepisse videntur. Et de hoc quidem postea videbimus. Nunc autem illud intelligi volo, tota re omnino concessa, haud sane multum profici. Altera tum videlicet isthæc quæstio orietur, undenam illi ipli rei tantæ auctores primum ista hauserint, quæ posteriorum omni generi conservanda traderent. Neque interea me fugit, promtos admodum ad ea respondendo nonnullos esse, qui ad divinum isthæc oraculum referre minime dubitant, quo scilicet Deus recentem terræ ab se creatam problem de suo ipse Numine & natura certam red-



diderit. Qui homines, quemadmodum nos faciles in eo ultiroque sibi assentientes habebunt, ita illis, quibus ab sacris libris mens erit aliena, fidem frustra facere conabuntur. Neque enim aut qui primi Deum esse crediderint, primos omnium homines fuisse, aut illud ipsum Numinis ministerio edoctos facile fatebuntur. Et nimirum in istiusmodi rebus, singularia Dei oracula adpellanda, minime censeo.

Neque jam magis placet alterum illud, quod nonnulli existimant: Numinis aliquam notionem ac veluti sensum hominum animis principio ingenitum & quasi insculptum esse, quo, sine rationis ope & auxilio ducerentur. Cujus opinonis, nisi fallor, primus apud veteres jam auctor Epicurus extitit. Is enim omnes homines statuit habere Deorum, sine doctrina, anticipacionem, quam πρόληψις adpellavit. Idemque e recentiorum numero iis visum fuit, qui hominum menti a natura rerum quasdam notiones ingenitas esse crediderunt. Quos tamen multum abest, ut omnes eodem loco habendos censem. Nam quae Lockius in praestantissimo, de

intellectu; libro multa bene & præclare contra ingenitas notiones disputavit, ea ad Leibnitium, quamvis illas admittentem, minime pertinere istosque tam præstantes viros re consenserit ac verbis tantummodo discrepasse, mihi persuadeo. Et profecto, cur ego quæcunque sciri possunt, ipsamque adeo Numinis notionem insitam ingenitamque hominum animis esse minus dicam, cum vera omnia in mente involuta existant nec aliunde istuc inferantur, sed ipse cognitionum contentionе eliciantur? *)

Sunt autem alii, qui Numinis istam notionem minime ratione, verum sensu, constare; proprioque quodam & interno lumine animis innescere existimant. Contra quæ etsi multa sint, quæ copiose differere possemus, tamen, quia certis finibus circumscribimus, pressius omnino agendum, nec res explicandas verum attingendas modo censemus. Dico igitur, quod in iis rebus omnibus, quæ sensu percipi diennuntur, re-


*) Vid. *Moses Mendelsohns Abhandlung über die Evidenz, in metaphysischen Wissenschaften; erster Abschnitt.*



perire licet, in isthanc minime quidem conve-
nire. Neque enim sentiri ulla res, nisi per
sensum instrumenta, potest. Hoc autem ita sit,
si impulsa illa & concussa quodammodo re
quadam illius speciem animo adferunt. No-
tionis vero ipsius ac speciei ea natura est, ut
rem animo tanquam præsentem fistat. Quorum
neutrūm profecto hic contingit. Qualis enim
aut ubi ille sensus sit, quo Deum esse nobis
innotescat, nemo unquam dixit, nemo dicturus
erit. Sensum nunc non rei ipsam formam &
imaginem dico, sed instrumentum, cuius ope
ac ministerio illa in mente excitatur: qualis est
visus, oculorum acies, nares, olfactus & sic
porro. Quod si quis parum id referre putet,
ut sciamus, qua via rei alicujus imago ad animum
pervenerit, modo adesse constet, ne hoc quidem
a me impetrabit, ut Dei notionem eorum si-
milem esse, quæ sensu continentur, ullo modo
fatear. Nec interea diu quærenda mihi puto,
quibus in eo recte me facere ostendam. Modo
isthæc legentibus in memoriam revocatum volo
metaphysicorum illud: nullius rei, nisi indivi-

duæ, quæ sit ac existat, præsensque & coram
quasi sua vi impellat sensum instrumenta, ima-
ginem apud animum existere, ceterarum vero
notionum rationem solam effectricem esse. Jam
vero, qui, Deum esse, sensu intelligi volunt,
non ipsum Dei Numen præsens, veluti ceteras
res nobis circumjectas, ferire sensus, quod plane
absurdum foret, existimant. Nam Dei notio-
nem habemus illam quidem; ideam, id est,
imaginem aut simulacrum non item. *) Sed
qui sensu illam constare putant, hoc nimirum
sibi volunt, sine rationis auxilio sensu quodam
nobis innotescere, quod Deus sit ac existat. De
quo, ut verum fateor, quanquam Dei ipsam
natiram sensu percipi, abhorrire ab ratione
existimo, tamen ejus, ut hoc utar, existentiam
eodem modo intelligi, mihi quidem haud paulo

*) Quæ partim sensu interno & conscientia,
partim alio quounque modo intelliguntur,
quorumque conformatio insignita animo & im-
pressa intelligentia, proprie *notio*, auctore Ci-
cerone, *Top.* 5. dicitur, quemadmodum, re-
rum concretarum & sensus ferientium *ideæ*
sunt. *Ernesti initia doctr. sol. metaph.* l§. 35.



ineptius videtur. Quis enim earum rerum, quæ sub sensu cadunt, illam esse, nisi hoc ipso intellexit, quod illius ideam delatam sensibus, mente atque animo hausit? Ita ego hæc legens, & literas istas & membranas existere ignorarem, nisi oculis vidissim aut manibus contresistassem. Et nunc certe, cum eadem hæc esse, scio, non sentio equidem, sed scio. Quod enim hic sensu constat, res ipsæ sunt, quarum vim apud animum experior, ab illarum existentia minime separandam. Ita sit, ut, Dei notionem sensu constare, ac ipsam præsentem Numinis vim sentiri, una atque eadem res habenda sit. *)
Sed falso hoc, ergo & alterum.

*) Prope igitur est, ut Epicurum hoc animadvertisse putem, ideoque ad tuendam, quam statuebat, Deorum anticipationem imaginum portentum excoxitasse. „Cum infinita, (*inquit, quiebat,*) simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat, & a Deis affluat, (*ita recte emendavit Davisius*) cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamque nostram intelligi gentiam, capere, quæ sit & beata natura, & æterna. „ CICERO de Nat. Deor. I. 18. conf. ennd. ibid. Cap. 37. & 41.

His adde, quod omnis enunciati, quo verum aut falsum quid significatur, ea natura est, ut sensum omnino omnem fugiat. Nam quod nonnulli existimant, animis hominum a natura infixas & insculptas esse quasdam rerum prænotiones, proprio quodam & interno lumine splendentium, quarum adsensio non cogitationum contentionе verum sensu quodam efficacatur, id mili secus videri fateor. Et partes quidem re ipsa, quam constituunt, magnitudine inferiores esse, & quæ alia multa hic adferri solent, etiam iis, qui tardiori sunt ingenio, statim adparere, non negabo. Sed tamen illud ipsum aliquando, non sine rerum instituta collatione effectum esse, contendo, quanquam aliter jam nobis videri possit, apud quos scilicet res jam frequenti usu in consuetudinem abiit. Quin ne binorum quidem duplicato numero quaternarium constare, ullum hominem per se primum intelligere puto, nisi antea, quem singularum binum, eundem binorum quaternis numerum sufficere judicaverit.

P R Ä L E C T I O
A L T E R A.

Meministis A. O. O. H. de argumento ab hu-
mani generis confessione petito, quo nonnulli
in statuendo Numinе aliquо utuntur, nudius
tertius me ingressum dicere, primum ipsam illa-
lam confessionem attigisse, de qua nemini certo
constare posse judicavi, ac progressum deinde
ad ortam Numinis apud diversas gentes ac na-
tiones persuasionem, illud regisse, ut ostenderem
nec traditam ab ipso Numinе hominibus illam
opinionem fuisse, nec insculptam principio in-
genitamque animis. Quam posteriorem partem,
uti imperfectam tum nec absolutam reliqueram,
ita peracturus nunc pergo.


Conatus erat nuperime apud Anglos Hen-
ricus Homius, haud vulgaris ingenii vir, op-
inionem isthanc desertam pene, ut putabam, re-
lictamque adserere. At quibus argumentis ni-
fus? Falsum, inquit, istam Dei notionem;
quod nonnulli existimant, metu ac malorum
formidine ortam esse. Non enim mala solum
noxiaque verum & benigna sibi maximeque



propitia Numinis omni tempore humanum genus coluit. Nec interea, quod metus non potuit, illud ratio effecisse credenda est. Nam & apud efferatas immanitate nationes Numinis illum cultum reperire licet, apud quas vix probabile est, tantum rationem valuisse. *) Quæ partim incerta sunt, partim futilia. Primum igitur unde constat, omnes terræ gentes ac nationes Numinis aliqua religione imbutas esse? Deinde vero ratione illud, quod sensu tribuit, effici non potuisse, existimat quidem, sed non probat. Tum enim demum Dei notionem sensu contineri, negari non poterit, si quis aut ejusmodi sensum ineffic in homine certis argumentis indicisque ostenderit, aut non tantum minus probabile esse, sed fieri penitus non potuisse, probaverit, ut alia quavis ratione ea primum persuasio orta fuerit. Quod autem cujusdam Siberiæ populi, quem *Wogulzoum* dicit, exemplum profert, rei explicandæ parum accommodatum est. Nam & narrantis fide nititur, & eorum solertia, a qui-

*) Vid. Versuche über die Geschichte des Menschen, von Heinrich Home. T. II. Cap. I.

bus illud pervestigatum fuit. Ac si istiusmodi rumoribus pugnandum foret, res maxime mirabiles ac portentosas obtinere, haud sane difficile fuerit. Sed dabo, si libuerit, rem, uti fertur, ita vere accidisse; num etiam, quod Homius inde colligit, effici, necesse erit, ut fatear? Haud certe id quidem magis, quam ea omnia sensu constare dicam, quæ multa ac innumerabilia fere animus perspicit, quorum momenta & rationes explicare tamen minime potest. Eorum autem, quanquam & philosophi sensum dicunt, non tam eum putant, quem solum, si accurate loqui velimus, ita nominari fas est, rerum impulsu constantem totum, nec rationibus nitentem, vel clandestina vi animum vel aperte moventium. Cujusmodi multorum Dei sensum esse lubens fateor, & ejus fuisse, quem Homines laudat, Siberiæ gentis, non fateor modo, sed contendeo. Age vero, quæ rerum momenta adsunt, sed non clare perspiciuntur, conquire, & involutam animo notionem explica, tum vero sensum istum videbis disp-




rere totum ac evanescere. Cujus rei illustre
habet exemplum ipse Homius, Gronlandiae in-
colam e Cranzio inducens minime philosophum,
sed de natura Dei non aliter, ac philosophum
decebat, disputantem.

Atque illud ipsum sensisse videtur Homius:
Et occurtere studet huic incommodo, sed nihil
agit. Isthunc enim Numinis sensum, quemad-
modum ceteros sensus externos, abditum & in-
clusum quodammodo latere ait, donec re qua-
piam extranea concitetur. Quemadmodum igi-
tur, ita inquit, in tenebris remotoque omni lu-
mine oculi nihil vident, ita sensus iste apud
rudem & non cultum humanitate hominem so-
pitus delitescat, nisi aut terribili tonitus fra-
gore aut contremisceente terra, vel simili quo-
piam evento, excitetur. At, quæ ista tergiver-
satio? Utitur in dissimili causa rei dissimillimæ
comparatione. Neque mirum est, deficiente lu-
mine nihil cerni, siquidem ipsum lumen est,
quod de summis corporibus in oculos incurrens
videmus. Quod longe aliter est in ista Dei no-
tione. Neque enim rudiis ille homo exandito

tonitru Numen ipsum sentit, sed eorum, quæ expertus fuit, causam aliquam esse debere, eamque eximia vi potentiaque præstantem, apud se meditans ipsum, concludit atque efficit. Et fortasse ne Deum quidem cogitat, sed potius malum quemdam genium hominibusque infestum. Quidquid vero fuerit, sensus certe non est, sed ratiocinum.

Tertium fuit ac postremum eorum, quæ in causis illis numeravimus, ob quas ista de Numinе aliquo per suadere orta videri possit, ut rerum mundique universi contemplatione in istam primum cogitationem incidisse homines arbitraremur. Id autem in primis probabile mihi videtur veterum populorum religionem intuenti. Verum totum hoc, ut res postulare videtur, explicari, magni voluminis esset. Quare in hac etiam parte modum adhibiturus, ad illud tantummodo animum adverte velim, quod in hoc uno tandem vetus religio omnis fere conveniat, ut causarum, quibus naturales eventus continebantur, ignoratio, istam, quam videamus, innumerablem Deorum multitudinem pro-



duxerit. Huc enim profecto spectant Numina,
quæ credita a veteribus cultaque sunt, prope
omnia. Nec enim fere D̄eum aliquem reperire
licet, qui non certos naturæ motus regat, certo
muneri praesit, quod, non sine Numinis ali-
cujs auxilio administrari posse, rudis antiqui-
tas neadum physicis imbuta, creditit. Quæ
igitur ratio philosophos adduxit, ut naturam
aliquam unam ac præstantissimam esse crederent,
quæ & principio hancce rerum omnium univer-
sitatem condidisset, ac conditam jam conserva-
ret, summaque vi & sapientia cœlum omne,
solem, lunam, sidera, terras, maria, flumina
& animantium omne genus regeret ac tueretur,
eadem certe prima extitit ceteris hominibus,
ut non unum aliquem Deum rerum auctorem
ac gubernatorem omnium, sed plurimos, &
prope innumerabiles, Deos fingerent. Neque
enim hoc adsequebatur primorum hominum in-
fantia, ut unam eandemque naturam tot rebus
simul perficiendis sufficere intelligerent: sed
partim ea ipsa, quorum motus mirabiles &
perennes viderent, divinæ naturæ esse, partim

Numinis cuiusdam vi. & impulsu agitata crediderunt. Quin etiam iis rebus omnibus, a quibus aut insignem fructum aut calansitatem ad hominum genus permanare experti fuerant, divinum cultum & honores decreuisse certum est. Plerique igitur omnes veteres populi & nationes Solem, Lunam, atque sidera in Diis habuere, tum ob praelaram eorum speciem ac pulchritudinem, tum propter constantem motum, conversienemque dierum ac noctium, semperumque vicissitudinem, efficientem, & salutari quadam vi conservantem omnia atque augentem. Hinc etiam Neptunus modo iratum mare fluctibus attollens, modo suspiride tumida æqua placans, hinc fluminum perenni aqua labentium Numa, hinc fontium, quorum subita e terra eruptio divini quiddam habere existimata fuit, Najades, hinc montium Oreades, hinc silvarum, quarum, inspirante arborum ramis vento, leniter susurrantia folia, & subobscuri Iuminis horror, nescio quo gratissimo non admirationis modo, sed angustæ religionis sacro sensu mentem percellunt, Silvanorum, Fauno-

rum, Satyrorum, & Dryadum innumerabilis
multitudo. *) Hinc non præstantium modo

*) Quæ super hoc argumento apud Senecam
me legisse memini, tam præclara funt, ut
non ipsius verbis me usum fere pœniteat.
Nec temperare mihi possum, quin locum ta-
men hic subhiciam, quo rei nostræ multum
auctoritatis accidere intelligo. „ Si tibi oc-
currit vetustis arboreis, & solitam altitu-
dinem egressis frequens lucis, & conspectum
cœli densitate ramorum aliorum alios pro-
tegentium submovens, illa prœceritas silvæ
& secretum loei & admiratio umbræ, in
aperto tam densæ atque continuae, fidem
tibi huminis facit. Et si quis specus faxis
penitus exèsis montem suspenderit, non ma-
nufactus, sed naturalibus caulis in tantam
laxitatem excavatus, animum tuum quadam
religionis inspicione percutiat. Magnorum
huminum capita venerantur, subita ex ab-
dito vasti amnis eruptio aras habet. Co-
luntur aquarum cæleptium fontes, & stagna
quædam, vel opacitas, vel immensa altitudo
sacravit. Si hominem videris interterritum
periculis, intactum cupiditatibus, inter ad-
versa felicem, in mediis tempestatibus pla-
cidum, ex superiori loco homines viden-
tem, ex æquo Deos, non subibit te vene-
ratio ejus? Non dices, ista res major est

magnitudine virorum, qui aut variis inventis hominum vitam sublevarunt, ut Bacchii, ut Triptolemi, ut Aristei, aut a plurimis malis atque pestibus hominumque & ferarum impetu tuiti sunt, ut Herculis & Thesei, sed & belliarum maxime, e quibus aliquam utilitatem caperent, consecratio. Neque enim, ut Cicero ait, virum magnum umquam sine Deorum instinctu adlatuque extitisse crediderunt; & cuiuscunq[ue] rei erat tanta vis, ut sine Deo regi non posse visideretur, ea ipsa Dei nomen obtinuit. Ita non Fidei modo & Mentis & Virtutis, & similium, sed Febris quoque, & Orbonae, & malae Fortunae, tempa Romae extiterunt. Cuiuscunq[ue] denique rei causa latebat, illa hoc ipso & Dei nomen & cultum meruit. Quod ex genere Livii est ille Ajus Locutus, cui, expianda nocturna vocis causa, quæ, ne a Gallis Roma caperetur, providerent, monuisse dicebatur, ara consecrata fuit. Quod in-

„altiorque, quam ut credi similis huic, in quo est, corpuseculo possit? Epistol. L. V.
ep. 41.



ceptior mihi videtur quorumdam hominum la-
bor, qui omnem antiquæ religionis rationem
ab uno, non fonte, sed rivulo deducere conan-
tes, vel translationibus omnia explicant, vel,
Evhemerum secuti, Deorum natales & sepul-
cra ostendunt, vel tandem malorum metum ac
förmidinem solum religionis omnis causam &
originem fuisse probant. Quid ni vero proba-
rent? Istræ enim quam graviter aut dicuntur
aut sonant?

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua
cælo

Fulmina cum caderent, discussaque moenia
flammis

Atque icts flagraret Athos, & qu. f.

Aut hæc:

Parcus Deorum cultor & infrequens

Insipientis dum sapientiae

Consultus erro, nunc retrorsum

Vela dare atque iterare cursus

Cogor relictos: namque Diespiter,


Igne cotusco nubila dividens,

Plerumque per purum tonantes

Egit equos, volucremque currunt.

At, si inter plures causas, hanc unam fuisse
fatebimur, etiamne solam fuisse, contendere
non desinent? Quod quidem haec minus in-
ceptum mihi videtur, quam, si quis aut Rheno
solum aut Danubio nec ceteris simili annibus
fluminibusque mare sustineri diceret. Mihi
vero mundi universi contemplatio, eventorum
que insolitorum, seu terrorem intentientium,
seu minus, admiratio, communis ejus rei causa
fuisse videtur, neque ego in veterum religione
omni quidquam video, nisi philosophorum Deum
in partes atque membra disceperit.

Quod igitur totius questionis fundamentum
erat, id nunc tandem quoad fieri poterat, ja-
ctum videtur. Quo brevioribus nobis deinceps
esse licebit, quod posito constitutoque illo,
quod primum ac praecipuum erat, ut, quæ
istius confessionis natura esset, ostenderemus,
cetera sine magno labore inde colligi posse &
quasi sponte manare existimo. Quamobrem hoc,
quidquid restat, peragemus, num ista seu plu-




riarum seu omnium gentium de divina aliqua
natura consensio, aut nullam prorsus, aut ali-
quam, aut eam tandem vim habeat, qua, tan-
quam justo certoque argumento, Numen aliquod
esse intelligi queat, explicaturi.

Sed quoniam in eo permultum interest, ut
ad ejus opinionis originem causamque attenda-
mus, quam triplicem supra rationem constitui-
mus, eam recte, nisi fallor, propositam pri-
mum in isthac quoque disputatione servabimus.
Primum igitur hoc erat, ut religionem a primis
terrarum incolis ad posterorum omne genus
permanasse, traditamque & acceptam, finge-
rem, uno tenore inextinctum ad hominum uni-
versum genus, & praesens adeo tempus, perve-
nisse. De quo modo illud repetam, quod su-
pra a me dictum fuerat, eam rem totam, di-
vinorum oraculorum fide nitit; quæ sine Numi-
nis persuasione nulla est; nec idecreo umquam
ei rei probandæ sufficere ullo modo posse, sine
eius veritate, ipsum, quo solo nititur, fun-
damentum collabi necesse fuerit. Neque enim
argumenta, quibus Deum esse ostendamus, eo-

rum causa conquerimus, quos, Numen aliquod esse, credere oportet, quoniam illud libris sacris æternum religionis suæ & cultus monumentum consignasse credunt. Sed ad eam disputationem rudes nos accedere decet, præjudicatam opinionem omnem excutientes animo, & tantisper oblitos eorum omnium, quæ ante diceramus.


Jam vero iis, qui propterea, quod apud omnes ubique homines divinæ aliqua naturæ notio reperiatur, insculptam illam a natura hominum animis exiliabant, satis ad utrumque responsum fuit. Falsum igitur aut incertum, apud singulas terrarum nationes, ne dicam homines, Dei religionem aliquam & cultum extitisse; falsum item, ubicunque extitit, Numinis aliquo sensu illam constitisse. Sed tamen, si utrumque dederim, quo jactari tantopere solita illa hominum in ea re consensio valeat, aut quid conferat suffragiorum multitudo ad persuasionem, equidem non video. Nam si ista vox, quæ quidem, quatenus sensu constare dicitur, apud me prorsus filet, in singulorum



animis obscure tantum musitat; non loquitur; ecquid omnium æque obscura consensio efficere poterit, ut ab singulis clare exaudiatur? Sin autem sensus ille aperte Deum esse monstrat, ac instar ceterorum sensuum vel nolentes cogit, ut sic esse fateamur, quid tum, quod in simili causa numquam facimus, aliorum adsensum expectamus? An quo certiores fiamus? At nulla sīnior certiorque nec est nec esse potest persuasio, illa, quæ sensum sequitur. Igitur cum cœlum suspeximus, illic puro aëre Incere solem, minime dubitamus, quod illius splendorem videmus caloremq[ue] experimur. Nec tamen, aliis quid videatur, quærimus, aut omnino curramus. Et recte: nam nisi falsis nos imaginibus continuo deludi putemus, ea quæ sentiendo experimur, esse, tam est certum, quam nos existere: siquidem animus ipsum se non aliter nisi sentiens, externarumque rerum animadvertisens impulsus, esse ac vigere, experitur. Quin etiam, cum corruptis, casu aliquo, vel morbo, sensuum instrumentis, vel tandem objecta alia quacunque causa rectum eorum

usum impediente, res nobis, mutata vel figura, vel colore, vel sapore denique, adparent, quamvis aliis omnibus alia, nobis tamen ea vere talis imago subjicitur. Quod si igitur, paucis enim jam totum hoc complectar, hujus qualiscunque sensus patroni multitudinis illum iudicio probare student & confirmare, ingratam operam suscipiunt, minimeque necessariam. At si primum illa ipsa hominum confessione ducti in illum inciderunt, in eoque expressa Numinis vestigia se deprehendisse existimant, meminerint, haud quidem constare illud, quo ntitur, & si vel maxime constaret, illud tamen refugium supereffe, haud facile intercipiendum, ut, quem sensum ipsi perhibent, eum nos confuso implicatoque ratiocinio contigeri dicamus.

Quae res sponte me ad tertiam ac postremam partem ducit, qua scilicet restat examinandum, quantum in isthae de divini Numinis aliqua natura disputatione valeat, non tradita ejus rei acceptaque fides, non insculptus hominum animis aliquis sensus, & sine illa doctrina Numinis anticipatio, sed recta ratio justisque re-




rum momentis sive aperte sive obscure tacite que animum permoventibus orta persuasio. Atque hic jam locus videtur esse, illius perficiendi, quod supra me facturum promiseram, ut nimis dialectico more in argumenti, quod ratiocinio constat, vim & naturam inquirerem. Quod tribus, quod ajunt, tantummodo verbis perficiam; modo ne regula desit, ad quam opus exigamus.

Omnium, quæcumque vera ac certa cognosci possunt, rem a principio repetens, duplieem rationem esse video. Nam aut quid sit, sensu experimur, aut ratione colligimus. Atque illud quidem, quale sit, per se clarum est: alterum rerum inter se collatione instituta efficitur. Quod tum sit, ubi duabus rebus, quædam inter se communia esse, propter internam quamdam similitudinem aut conjunctionem, judicatur. Quo autem rei summa ac ratiocinii omnis quasi fundamentum continetur, illud ita efferri necesse est, ut de universo genere aliquid aut affirmari aut negari constet. Atque hoc quidem ipsum ab arguendo, id est, probando, consue-

tudo argumentum nuncupavit. Est autem omnis argumenti ea natura, ut dubia res colligatur per id, quod dubium non sit. Quod enim certum per se est, id probatione non eget, nec, quod incertum, ad fidem alteri faciendam valet.

Jam si eorum sententiam attentius consideraveris, qui, ut Numen aliquod existat, hoc certissimum signum putant, quod communis sit illa omnium opinio, isthac sequenti fere modo conclusa reperies. Quod universi statuunt, id verissimum sit oportet; sed Deum esse placet omnibus; quin igitur Deus sit, dubitari certe non potest. Quod igitur apud Ciceronem ad Epicuri ineptias Cotta, idem nunc ego, per Deum ipsum, de quo agitur, quero, quale tandem hoc sit. Itane vero, quod universi statuunt verissimum? Quem sapientem hoc datum censemus, quod isti non datum ultro sumunt? Hoccine vero est, quod diximus, rationis fundamentum omne dubium minime esse, id est, aut proprio quodam & interno lumine lucere oportere, ut, simulatque enunciatum fuerit, verissimum ac certissimum esse statim



omnibus adpareat, aut certe non prius ponendum, quam tale esse ostensum fuerit? Isthoc autem ejusmodi esse, tantum abest, ut, quo quis ingenio fuerit præstantiore, eo plura subito occurrant, quæ non incertum modo, sed falsum esse coarguant. Nec vero id mihi credi postulo, nisi jam ita esse docuero.

Qui igitur, quod omnibus placuerit, ideo verum esse judicant, vel hoc ita dicunt, quia ipsam credunt fatentium aut negantium confessionem rerum vel veritatem vel falsitatem sequi atque illa quodammodo effici, aut quod homines simul omnes in nulla umquam re falli posse existimant. Quorum alterum absurdum est, alterum aut falsum aut quam maxime incertum. Et priorem quidem partem attingere protius supervacancum fuerit, nisi forte non necessariam, non constantem nec perpetuam rerum naturam esse, sed ex hominum opinione pendere putemus. De altero illud dicam; me mirari, quæ res tantam omnium confessioni vim tribuat, ut omnis erroris expers & immensis habenda esset. An ego singulos homi-

nes labi, decipi, falli posse, ab eaque sorte
ne unum quidem excipiendum fatear; universos
autem, qui tamen singulis constant, numquam,
nisi quod verum sit, videre & judicare cre-
dam? At quam facile mihi esset ostendere,
unius hominiis saepe judicium plus quam cetero-
rum omnium opinionem valere? Qui igitur tem-
porum dierumque & noctium vicissitudinem non
orbis, verum solis conversione effici, homines
ad unum omnes aliquando judicaverunt, diuque
in eodem permanessent errore, nisi Pythagoræ
magnum ingenium extitisset, ii turpiter falli
fuerunt, primus autem ille solusque verum vi-
dit. Quæ res quum temporum immanitate in-
tercidisset, denuo vindicata assertaque a Coper-
nico magnas in vulgo usque renitentium tur-
bas dedit, hoc autem ipso tempore a paucissi-
mis quibusdam accepta servatur, longe pluri-
mam maximamque partem aut omnino latet aut
adversam habet.

Quod si vero in omni hominum circa quam-
libet rem confensione parum ita omnes credere

K

aut sentire refert, nisi ejus opinionis causa atque ratio expensa fuerit, quantæ demum dementiae foret, cœca fide amplecti ea, quæ ceteri probant, ipsique illi confessioni eam tribuere vim, quam totam a persuasione habet argumentis ac rationibus nixa? Aut que ista animi inbecillitas, aliorum judicium präferre suo? Quod scite admodum non nemo dixit, non minus inceptum fore, ac, si quis nos sibi oculos evellet, quo posset quodammodo aliorum uti. Et si recte, nemini vel sapientissimo temere, nec probe examinatis rerum momentis, credendum summi philosophi præceperunt; quid de iis judicabimus, qui maximis gravissimisque in rebus non doctissimorum hominum judicium, sed imperita plebecula levitatem tantè aestimant, ut porro inquirere inutile, dubitare vero etiam nefas putent?

Sed non desinunt jactare illa: *vox populi, vox Dei, nemo omnes, omnes neminem fallunt,* & similia. Quæ profecto omnia speciosius dicuntur, quam verius. Quin igitur fatemini, qui omnium consentienti voci nihil non tribui.

tis, nec suffragia ponderanda verum numeranda ducitis, tanto majorem rerum probabilitatem existere, quanto propior sit consensui assentientium multitudo. Quid autem? Qui, exceptis paucissimis quibusdam, reconditis remotisque a profanorum adspectu sapientiae sacrarum imbutis hominibus, omnes, colores tanquam materiam aliquam in rebus inesse, aut res ipsas nobis circumiectas non earum imaginem animum sentire credunt, non falluntur, non fallunt? Videlicet porro, quanta sit terrarum vastitas, quamque parvus, immo quam nullus, cum ceterorum multitudine collatus eorum numerus, qui non divinam modo aliquam naturam, sed praestantissimam illam, & quod maximum est, unam colunt? Horum igitur paucitatem aspernabimur. Nam quae nobis absurdum videtur, falsorum & commentitiorum Deorum innumerabilem multitudinem coalentium, opinio videlicet vox Dei est. Ne fallimini boni viri! Non in comitiis res agitur, ut, quod multitudini placuerit, ratum sit. Non in foro, ut veri, testimoniis confessione, convincamur. Sed id queritur, quid

recta ratio jubeat velitve, quid recuset. A quo
quidem sanctissimo angustissimoque orbis conci-
lio proletariam turbam arcens, suffragia cete-
rum equidem non numerabo verum aestimabo.

Atque ut jam penitus animum meum ape-
tiām, nubesque illas & caliginem dispellam,
quæ plerorumque adhuc oculos urgunt, non
tantæ dementiæ ullum hominem umquam exti-
tisse credo, qui illud vere sibi persuaderet,
quidquid universi crederent, id falsum esse nullo
modo posse. Quid enim ineptius cogitari um-
quam queat, quam, cum errare singuli homi-
nes possint, plurimos non posse, aut si pluri-
mi, non universos? Sed cum ad finiendas, in
communi vita, lites atque dissidia, hoc ita con-
stitui necesse fuerit, ut verum id haberetur,
quod certo testimoniū numero esset confirmatum,
eam paulatim hoc tractam rationem ab nonnul-
lis existimo, non videntibus, quantum differ-
ret rationis auctoritas ab rerum gestarum fide.
Est enim vere tantummodo rerum gestarum fi-
des, quæ testimoniū integritate tota nititur: at
eorum, quæ ratio aut vera esse aut falsa ostendit.

dit, fides nulla. Atque uti oculis quodammodo videre pro altero alter potest, ita pro altero ratione uti ac judicio nemo potest, certe nemo debet. Istum autem errorem illorum temporum vitio invaluisse, quibus, quid in religione, quid ipsa philosophia verum esset, suffragiis aliquoties fuit decretum, mirabile non est; at nostra hac etate, qua, quid in omni re aut credere velit aut statuere, cuivis integrum est, istiusmodi vinculis ingenia deprimi & coerceri, illud vero minime ferendum. Quid? quod nonnisi tum testimonii omnis aliqua incipit esse auctoritas, cum rationibus agi nequit. Neque enim judicem ullum testimoniū confessionem desideraturum puto, si causam explorare, rationesque excutere ipse valeret. Quo magis nos pudeat philosophos, nostro uti judicio nolentes, aliorum expectare testimonium, nobismetipsis nihil magis ratione ac judicio valentium.

Quæris, num ergo hominum in qualibet re confessionem, nullius prorsus ad persuadendum, momenti esse putem? Non is sum, qui isthoc vel credam, vel ab aliis dictum, omnino

problem. Quare nunc, quid sentiam, dicam, quam i potero brevissime. Quamquam illam equidem semper persuasionem maximi feci, quæ a propria cuiusque intelligentia profecta, nec aliunde arcessita esset, numquam tamen aliorum judicium per se negligendum existimavi. Nec parvam, meo quidem judicio, vim habet aut ad diffidentiam opinionum diversitas, aut ad persuasionem consensio. Id vero tanti non est, ut, quidquid a ceterorum opinione abhorreat, abjectum velimus, nostro quamvis folo judicio probatum, aut creditum temere, quod aliis placuerit, nostra invita ratione & quodammodo recusante. Neque enim consensio ista cum ratione contenderet illo modo potest. Nam tunc nonnisi vim aliquam habet, cum rem nondum ipse examinaveris. Neque vero ad certam persuasionem valet, sed tantummodo ad probabilitatem, & ne hoc quidem, nisi; quid sequatur, appareat. Quod in isthac de Dei Numinе questione, qualē sit, antea docuimus. Quamobrem illud vere affirmari posse existimo, multum isthanc inde opinionem commendationis nancisci,


magnamque ipsa confensione veri probabilitatem habere. Atque ex toto hoc genere illud emergit, maxime naturalem illam esse, & paulum de rebus cogitanti sponte ipsam sese effarentem. Quod nisi ita esset, haud fere probabile foret, a tot illam populis gentibusque inventam credamque semper suisse, aut tot seculorum intervallo confirmationem. Quod igitur apud Ciceronem Lucilius, in hoc scilicet orator magis quam philosophus, pronuntiat, id immutatum paulum in hac causa verissime dici arbitrox: opinionum, fere semper, commenta delet dies, naturae judicia confirmat.

Quid aptem jam cunctamini, vos nunc appello, qui aut veram istam aut creditam falso hominum confessionem argumentum sati firmum habuistis, cur Deum esse existimatistis, quid igitur cunctamini hoc, quidquid est, totum abdicere, aut certe non pluris aestimare, quam fas est? Haud equidem vos, optimi viri, virtuero, quorum mentem consiliumque probum, causam justissimam esse video. Laudo studium vestrum, optimum sine ac praestantissimum, de-



religione bene merendi. Sed hoc dolco, quod, nimis causæ vestræ metuentes & quodammodo diffisi, pessimis interdum illam armis propugnare videmini. Enimvero desperatae cause est, certe non optimæ, anxie solliciteque omnia undique conquiri, quæ veri modo remotam aliquam obscuramque speciem habent. Quod si non desunt aliæ rationes, ut certe non desunt plurimæ gravissimæque, quibus Deum esse facile ostendamus, quid opus est, ea sumere, quæ nemo dabit, data nemo probabit. Fuit illud tempus, quod, ne umquam redat, immortalis Dei benignissima cura cautum spero, fuit ergo tempus illud, quo boni quidam viri optimam causam eam judicarent, quæ plurimis rationibus argumentisque confirmata esset: bonis an malis, id scilicet haud curabant. Nunc vero in ista tanta literarum luce, quæ, dispulsa pristinæ barbariei caligine, tempora nostra colustravit, isthæc, quo major, eo suspectior sedulitas. Quo magis erit providendum, ne de religione, optime cum velitis, pessime tamen mereamini.

Videtis, quantopere indies eorum numerus
 augeatur, qui toto animo ac viribus religionem
 omnem sublatam volunt cupiuntque, ac dudum
 fustulissent, si per illos stetisset. Audivistis il-
 lorum clamorem, experti estis nefarios cona-
 tus, infamiam & furorem, nec humanum, nec
 tolerabilem. Jam pridem aluit isthæc in visce-
 ribus suis hominum portenta ingeniorum ferax
 quidem, sed levitatis summa Gallia mater at-
 que altrix. Non jam testa serpit, non pede-
 tentim vel labitur vel procedit pestis illa, sed
 arrecto capite ingreditur. cæco impetu fertur,
 fremit, ruit, graflatnr, prosternitque omnia.
 Vidi ego, isthoc propemodum superioris anni
 tempore, Voltairium, tremebundo passu ambu-
 lantem, immo latere gravem & interclusum
 fere spiritum ægre anhelantem, fractaque voce
 muliebres & inconstantes sonos edentem. Ma-
 ximus ille & hujus nostræ ætatis & superiorum
 temporum fortasse omnium vir esse poterat, nisi
 ingeniosus esse quam bonus maluisset. Nunc
 autem senex ille decrepitus, quem jam jamque
 fracto & columbi cornore prolapsurum juraveris,




non anteactæ vitæ, non impiorum, non obsec-
nissimorum scriptorum pœnitens, sicuti institue-
rat, ita de Deo hominumque genere pessime
mereri pergit. Quid igitur mirum, istius-
modi hominem, uti ferunt, tonante cœlo ac
fulgurante despondere animi & meticuloſe ani-
culæ instar latibula quærere, aut ad imminentis
mortis adspectum contremiscere totum & hor-
rere, qui toties tamen totiesque & animorum
simplicem naturam & æternitatem ludificatus
effet? Neque vero ille, quanquam oppido ne-
quam, pessimus tamen est. Nam & multa
bona & præclara habet, & Numini ipſi, quod
toties conviciis probrisque lacesserat, in vête-
bulo facillum extruxit, istisque verbis, que in-
sculpta ibi legimus, dedicavit: *Deo erexit Vol-
taire.* Hunc autem se nobilis ille astronomus
De la Lande, alicubi per sermonem gloriatus est,
effecisse, ut rubore pudorem fateretur, quod
Numen aliquod esse existimaret. Veruntameu
iſtos & eorum similes alios non odi, sed multo
magis misereor. De Dideroto vero, quid sen-
tiamus? qui eodem illo tempore, quo in Belgio.

versabar, contra Dei Numen ac religionem
 omnem, ibi quotiescumque occasio aut ferret
 aut negaret, non facetiis aut dicteriis, sed di-
 ris & execrationibus horrendo more declama-
 vit. Itaque etiam Parisiis populares ejus au-
 divi fatentes, tanto hominem furore percitum
 agitari, ut, si rerum status & conditio ferret,
 impietati cœde & vastatione straturum viam
 existimarent. Et quid conjunctissimum illi sy-
 stematis naturæ auctorem memorem? qui si
 numquam philosophiæ elementa prima didicisset,
 ineptissimum & erroribus ferula luendis scaten-
 tem librum certe numquam vulgasset. Quod
 non ideo dico, quia nos libellum contra illius
 ineptias conscripsimus, sed quia obtusi capitibus
 multos homines reperiri scio, quibus ille ma-
 gni philosophus videatur. Ipsi igitur eorum
 que similes innumerabiles alii, per speculas
 distributi, insidiantur & expectant, donec ab
 iis, quibus religio curæ est, inconsiderate di-
 cium aut factum aliquod excipiant, quod bonæ
 cause detimento circumferant atque exagitent.
 Qui si vos tantillum a recta ratione deflexisse



fentient, continuo clamorem tollent, captam religionem per triumphum ducent, veram esse negabunt, quæ nisi istiusmodi adhibitis artificiis salva esse non possit. Et erunt, qui credent, quanquam stultissime, sed tamen credent. Ita vobis metuendi sunt illi hostes, qui, nisi imprudentia vestra adjuti, diu multumque religionem oppugnabunt, sed tamen nihil proficiunt. Quare, si sapitis, non nimis religionis causæ metuentes ac trepidi suffultam adminiculis voluntis, quibus fallitas sola indigeat; nec suppeditias feretis ullas, nisi quas sana ratio & philosophia ministrabunt. Scilicet injustissimus est timor iste nec qui optimæ causæ conveniat. Et possim dicere, qui vobis multo magis sint hostes metuendi; & dicam per Deum, non ridendo verum serio, quando invidiosum est ridere, & in re seria non semper opportunum. Nostris, sine dubio, philosophorum, si Deo placet, & theologorum, si Deo placet, lepidissimum agmen, qui Gallica levitate delicatulo pede rerum superficiem eleganter perstringunt, qui solidiorem cibum nauseantes liquore aluntur & alunt, qui

Wolfi barbariem identidem crepant, qui Leibnitii monadem cōcoquere nequeunt, quām nec
 aspectabilem oculis, utut palpebras distenderis,
 nec tractabilem adeo manibus esse queruntur.
 Nostis, inquam, hominum genus illud, quod
 nescio quo divini spiritus instinctu afflatuque
 actum, libros sacros non interpretatur, quod
 sine linguarum & grammaticæ, quas funditus
 ista natio ignorat, peritia fieri nequit, sed pro
 lubitu & qua pollet ligandi ac dissolvendi au-
 toritate in quemvis sensu rapit ac torquet,
 atque interea, *Semlerum*, *Tellerum*, aliosque
 nefanda sceleris societate constrictos, jam pri-
 dem in religionis interitum conjurasse, misere-
 lamentatur. Hosce igitur bonos viros & reli-
 gionis amantissimos magis infensissimis hostibus
 metuendos vobis edico. Quibus nisi masculine
 obsteteritis, philosophiam primum corruptent
 ac contaminabunt, cuius fatis bona religio non
 diu superstes manebit. Sed non facient, non
 impetrabunt, neque, ita enim spero, adspiciam
 oculis meis detestabilem hominum triumphum,
 nec feres, o immortalis Deus, *Ernestum*, *Tel-*



lerum, nec feres Semlerum & amantissimum
tui, & sanæ religioni consultum maxime cu-
pientem, impuri gregis clamore & conviciis ob-
tundi. Vindicabis tandem sanctum tui Numi-
nis cultum ab istorum hominum atrocibus stu-
diis, commentisque & erroribus non suis pur-
gatum omnibus pristino candori & simplicitati
restitues.

Quod restat, gratias vobis ago A. O. O. H.
quas possim maximas, pro ea qua ad audiendum
me & novissime & nunc iterum benevolentia
huc confluxistis, neque ipsum & bonum virum
post me ex hoc ipso loco super jucundiori ar-
gumento deinceps verba facturum vobis etiam
atque etiam commendo.

C O R R I G E N D A:

- Pag. 24. lin. 19. Sunt autem illa: lege, illi.
— 115. — 14. ut fieri soleat: — folet.
— 119. — 10. sed ipse: — — ipsa.
— 121. — 14. ut verum fateor: — fatear.
— 138. — 14. inextinctum: — inextinctam.

Fe 787
80

ULB Halle
003 559 637


3



f

1607

B.I.G.



IOH. IACOBI HOTTINGERI
DISPUTATIO
STOLPIANA

DE
SENSU HONESTI.

Cum animadversionibus EHLERSII V. CL.

quibus responsum est.

ACCEDUNT
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ DUE
IN QUAESTIONEM
AB STOLPIANI LEGATI CURATORIBUS
ANNO MDCCCLXXIV. PROMULGATAM.

TURICI,

Litteris Orellii, Gesneri, Fuesilini & Socc.

M D C C L X X V I.